

VITÆ SPIRITUALIS

DOCUMENTA.

VITÆ SPIRITUALIS

DOCUMENTA

AD USUM

PATRUM AC FRATRUM

SOCIETATIS JESU.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis... quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia... Fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem Filii ejus Jesu Christi. 1. Cor. 1.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

EDITIO ALTERA.

ALMA COLLEGE
060.26
LIBRARY
J499
Alma, California

GANDAVI

E PRELO C. POELMAN, TYPOGRAPHI EPISCOPATUS.

1875.

42983

BX
3703
V58
1875

PARS PRIMA.

DOCUMENTA PRIMA

ET

MAGIS NECESSARIA.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/vitaespiritualis0000vari

DOCUMENTA PRIMA

ET

MAGIS NECESSARIA.

—

DOCUMENTA PRO TIRONIBUS

IN PRIMA PROBATIONE VERSANTIBUS.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. (Ps. 118. 9).

Documentum I. — Novitius, domum probationis ingressus, studeat imprimis veram genuinamque cognitionem acquirere status quem amplexus est, earumque rerum quæ se adjuturæ sunt, ut in eo perfecte vivat. Hunc in finem accurate legat et expendat Constitutiones Apostolicas, præsertim Bullam Julii III. Hinc ante omnia addiscat decem primos patres nostros, *Spiritu Sancto afflatos* in Societatem coaluisse, cujus finis est *sub Crucis vexillo Deo militare;* media autem illius finis obtinendi esse vota, regulas quæ ex Constitutionibus desumptæ sunt, etc. Attente etiam pervolvat Examen, Summarium Constitutionum, et ea omnia quæ sibi legenda et consideranda proponuntur.

Documentum II. — Totum se Divinæ Providentiæ per manus Superioris sui regendum tradat, ideoque magna cum humilitate et sui abnegatione se committat novitiorum Magistro, tamquam Patri filius dilectus.

Documentum III. — Initio det operam, ut bene addiscat modum meditandi; Magistrumque demisse roget, ut rite hac in re instituatur. Ex ratione enim bene meditandi pendet primorum exercitiorum fructus, in virtute progressus, in Societate perseverantia. Hinc B. J. Berchmans, inter incitamenta bene meditandi primo loco annotaverat : « Si bene facio orationem meam, non erit ullum periculum amittendæ » vocationis meæ : omnis enim apostasia a Societate » hinc sumit initium. »

Documentum IV. — Sciat plures e Sanctis Patribus docere votorum emissionem vim habere acceptæ perfectæque pœnitentiæ pristinæ canonicæ, qua scilicet, quum alterius baptismi loco haberetur, omnes pœnæ præteritis peccatis debitæ remittebantur. Ad hanc igitur gratiam jamjam se disponat. Itaque exomologesim de tota vita, quasi paulo post esset moriturus, accurate, sincere, et integre faciat. Erit hoc solidum fundamentum tranquillitatis conscientiæ in totam vitam. Proinde anxietates et scrupulos aspernetur, sequens consilium Gersonis *(p. 3. de Remed. pusill.)* : « Si semel, conscientia diligenter excussa, » cum dolore debito, sacerdoti idoneo confessus es, » animo nihil celandi, et sic absolutus es, secure apud

» te statue, rite te expiatum, omnemque scrupulum » et metum depelle; nisi aliquid perspicue occurrat. » quod serio memineris non dixisse. »

Documentum V. — Considerata peccatorum suorum multitudine et gravitate, generoso animo se offerat ad ferendum quidquid in Societate molesti vel ardui accidere deinceps possit; mente recogitans se optimam nactum esse occasionem, qua pro peccatis commissis Deo satisfacere queat, seduloque perpendens omnes hujus vitæ molestias longe esse leviores ac pene nullas, si comparentur cum acerbissimis tormentis et cruciatibus inferni aut purgatorii quæ sæpius forte promeruit.

Documentum VI. — Agnito meliusve perspecto fine creationis suæ, divina nixus gratia, efficaciter statuat se in posterum devitaturum esse omnia quæ finem illum et perfectionem impediunt; cujusmodi sunt peccata et imperfectiones. Et simul animum adjiciat ad ea omnia amplectenda quæ hominem ad finem hunc consequendum adjuvant, ut sunt observatio regularum, frequentatio mortificationum, studium orationis, meditationis, examinis, et expedita voluntas ad omne Dei et Superioris beneplacitum faciendum.

Documentum VII. — Perspecto Societatis et suæ vocationis fine, firmiter proponat strenue sequi vestigia Jesu ducis sui, in paupertate, castitate, obedientia, et omni sanctitate : item in humiliatione, confusione sui et adversorum tolerantia, desiderando generosi

militis et socii Jesu partes explere, ad exemplum B. Stanislai, e novitiatu patri de suo ingressu in Societatem indignabundo, sic scribentis : » Indignum » me judico qui propter Dei amorem quidquam acerbi » feram : si tamen Christus Jesus, tam multa pro » nobis passus, pro sua clementia tanto munere me » dignaretur, haud optatius quidquam ac beatius pos- » set in hac vita mihi evenire. » (*Ejus vitæ p.* 2. *c.* 1).

Documentum VIII. — Cum probe noverit, et forte experiri jam cœperit, non abfuturas in statu religioso dæmonis tentationes, quarum aliæ ad statum religiosum deserendum, aliæ ad occultanda peccata vel tentationes tum proprias tum aliorum ipsum impellant, aliæ demum ex affectu ad peccata anteactæ vitæ, vel ad consanguineos nascantur; integram conscientiæ suæ rationem Magistro suo reddat, firmiterque decernat semper habere conscientiam eidem apertam et perspectam, ut securius in via Domini contra satanæ machinationes dirigatur.

Documentum IX. — Cum proba rectaque voluntas religionem ingrediendi, ad salutem et perfectionem securius assequendam, non possit esse nisi a Deo; persuasum habeat Dei beneplacitum esse, ut in ea vocatione in qua vocatus est permaneat. Quapropter in suo sancto proposito animum suum omnino stabiliat et confirmet, nisi velit innumeris tentationum procellis et certo amittendæ vocationis periculo sese exponere. Si autem labor qui in tentationibus repel-

lendis invenitur, aut quævis alia causa eum ad tristitiam provocat, statim memor sit hilarem datorem diligi a Christo Domino, qui jugum suum suave et onus suum leve esse declaravit. Proinde tristitiam constanti animo longe a se repellat, juxta Spiritus Sancti consilium : *Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis..... Multos occidit tristitia et non est utilitas in illa.* (Eccl. 30. 21, 22, 24).

Documentum X. — Accessurus ad convictum aliorum, statuat neminem liberiore agendi modo aut regularum violatione offendere, aut moribus asperis scandalum aliis præbere. Hæc si constanter præstiterit, ad majorem in dies in virtute profectum, aliaque Dei dona consequenda aptus fiet; nam, ut ait S. Basilius (*Reg.* 58. *C.* 4. *in mor.*) : » qui grato animo in » donis quæ a Deo primum accepit, studiose seipsum » exercuerit ad laudem Dei, idoneus efficitur, cui alia » præterea adjiciantur. »

—

Quos animi ac virtutis indoles adeo commendarit, ut apti ad Societatem censeantur, ii diu ac multum exercendi sunt, probandique, donec illorum virtus multis et magnis experimentis spectata sit satis. (S. Fr. Xav. L. 6. Vitæ).

DOCUMENTA PRO NOVITIIS

UT PERFECTIONIS VIAM TUTO INGREDIANTUR (1).

Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me. (Ps. 24. ℣. 4).

Documentum I. — Odium et horrorem peccati cujusvis (ut in prima probatione, ex confessione generali et exercitiis spiritus cœpit) summum concipiat et foveat : ita ut nulla res creata sit a qua magis abhorreat, quam a quavis etiam minima Dei offensa, præsertim deliberata : imo considerata peccati gravitate, fœditate ac damnis, malit cum S. Anselmo in infernum detrudi, quam vel unico veniali peccato deliberato Majestatem divinam offendere. Hoc documentum a prima exercitiorum hebdomade desumitur.

Ex adverso stat prima causa cur nonnulli aliquando, vix absoluto tirocinio, quamprimum aliis collegis se adjunxerunt, libere regulas transgredi et peccata venialia committere incipiant : scilicet non acquisiverunt novitiatus tempore penitiorem cognitionem fœditatis et gravitatis peccati, et quod inde sequitur odium et horrorem illius.

(1) Ex P. Dirckinck Horol. excit. instr. II. §. II.

E contrario, viri religiosi qui sanctum hoc odium et peccati horrorem e tirocinio extulere, vitam suam perfecte instituunt, regularum omnium observationi intenti, mirifice in virtutibus proficiunt, superioribus suis exacte obediunt, cum omnibus in pace et cum ædificatione degunt, ambulantque coram Deo in justitia et sanctitate.

Documentum II. — Hoc igitur odio armatus operam det, ut numquam deliberate peccatum veniale admittat, et indeliberate raro; curans certe numerum peccatorum indeliberatorum minuere. Exemplo sit Ven. P. Bernardus Colnago, qui in tirocinio, angelicas mentes animi nitore imitandi cupidus, in id omnes nervos viresque intendebat, ne vel levioris noxæ labeculam sciens incurreret, aut legem quantulamcumque prudens violaret. (*Vitæ*, *l.* 1, *cap.* 4). Sciat insuper animam, quo purior est, eo majora dona cœlitus percipere.

Documentum III. — Etiam pœnas vitæ sæcularis peccatis contractas abolere statuat : atque ut pro iis justitiæ divinæ satisfaciat, ac pœnas purgatorii evadat, ordinarias carnis afflictiones ac mortificationes suas Deo offerat; cæterum omnia faciat secundum superiorum voluntatem ad exemplum S. Stanislai, qui quæcumque bona in singulis notabat, explere cupiebat universa; omnia tamen sancta obedientia, tamquam fideli charactere, temperans (*p.* 2, *vitæ C.* 3).

Documentum IV. — Omnes tentationes molestas ac

frequentes, omnes animi perturbationes, et si quæ forte acciderint ab aliquo consilia mala et exempla, absque ullo personarum respectu, suo superiori mox aperiat. Sic dæmonis pedicas evadet. Atque hæc præsertim primæ exercitiorum hebdomadi respondent, ejusque finem respiciunt.

Documentum V. — Acquirat ardens perfectionis desiderium; conando omnia et singula novitiatus opera cum fervore et diligentia obire, et fine supernaturali ad Deum referre. Ad hunc finem exercitia hebdomadis secundæ et proposita in meditationibus Christi exempla conducunt. Investiget itaque quomodo actiones suas, verba, cogitationes, universamque vitam similem faciat formæ quam Dei Filius, vivens in his terris, nobis præbuit, ut hanc formam, quantum licet, et ipse exprimat in moribus suis. Et hoc certum indubitatumque teneat, ab hoc tirocinii fervore ac modo, omnis vitæ reliquæ cursum pendere. *Attendite*, aiebat Ven. P. Balth. Alvarez novitiis suis, *quomodo nunc in via spirituali progrediamini : nam de lege ordinaria, quo passu, tempore probationis et tirocinii vestri, progredimini, eodem reliquo vitæ tempore pergetis. Si nunc tepidi fueritis, et in profectu vestro spirituali desides ; tales semper et immortificati manebitis : si autem nunc magno spiritus fervore incedatis, assuescitis ad bene eodem modo progrediendum.* (Ejus vitæ C. 1). Id comprobat experientia et S. Spiritus oraculum : *adolescens juxta*

viam suam, et etiam cum senuerit, non recedet ab ea (Prov. 22).

Documentum VI. — Caveat tamen sibi novitius ab indiscreto labore 1° Corporis, ne gravioribus oneribus ferendis, aut pœnitentiis nimiis corpori nocumentum afferat. 2° In laboribus mentis, vitet ne affectibus continuis aut indiscrete intensis, aut scriptionibus diuturnis pectus fatiget aut caput lædat, atque ita majora bona impediat, cum damno animæ, corporis et Societatis. Quare si quid horum sibi nocere animadverterit, ne velit obluctando pervincere; sed moderetur nimis intensum laborem, suaviori procedat diligentia, Magistrumque monere non vereatur.

Documentum VII. — Acquirere studeat, cum divina gratia, tironibus necessarium amorem crucis, hoc est, omnium rerum adversarum, præsertim quibus propria æstimatio et honor impetitur. Amor hic hauritur ex meditationibus de passione ac morte Domini, et fovetur viva peccatorum cognitione, quibus omnia aspera et opprobria debentur. Et quando ardens est perfectionis desiderium, ardens quoque amor et desiderium crucis respondent. Atque hæc causa altera est ob quam multi, finito tirocinio, turbantur, si vel accusentur, vel ob defectus puniantur, vel ad scholas aut gradum altiorem non promoveantur; eo quod non sunt fundati in amore crucis. Quapropter novitius bene se in eo fundet, alioquin vitam inquietam ducet, superioribus molestiam pariet, aut in Societate non

perdurabit. Hoc documentum ad tertiæ hebdomadis exercitia singulariter respondet.

Documentum VIII. — Eum in finem strenue novitius se in operibus humilibus et confusionem adferentibus tirocinii tempore exerceat; motus exemplo Christi et omnium prope Sanctorum, præcipue nostrorum S. Aloysii, B. Berchmans, aliorumque ferventiorum qui, defectus suos manifestando, ostiatim mendicando, reprehensiones libenter et avide subeundo, aliisque modis mundum et honorem proprium calcarunt. Sciat præ primis illa omnia fere ludicra esse si comparentur cum his quæ deinceps, velit nolit, pati debebit. Patiendum quippe est omnibus christianis; quanto magis religiosis.

Documentum IX. — Allaboret obtinere oratione, meditatione et exercitatione necessariam perfectamque resignationem, et renunciationem propriæ voluntatis ac rerum omnium. Hoc exigit, juxta doctrinam S. Patris nostri, amor erga Deum, positus in mutua facultatum, et rerum, et operum, et boni cujuscumque communicatione. Conetur itaque, vitæ suæ spiritualis initio, eo perfectionis pertingere, ut nihil umquam proprio arbitrio eligat aut desideret, quoad occupationem, habitationem, gradum et quidquid tota vita accidere potest : sed omnia Deo donet ex amore, ut Deus pro beneplacito suo omnia ordinet ac disponat. Hæc radix erit magnæ tranquillitatis et pacis; quemadmodum contrarium, scaturigo erit omnis

amaritudinis, inquietudinis ac perturbationis. Atque istud quartæ Exercitiorum hebdomadi maxime convenit.

Documentum X. — Superiores suos tanquam Christum Dominum, cujus locum tenent, omni amore et reverentia prosequatur; patres vero reliquos ac fratres, tanquam caros Christi Domini discipulos, et tanquam pupillam oculorum ejus tractet; ac proinde ab illorum moribus externis, internisque intentionibus censurandis tota vita abstineat. Omnia, quantum licet, excuset, omnia in partem benigniorem interpretetur. Si vero illis caritatis obsequium exhibere valeat, nunquam id negligat, si absque violatione ullius regulæ et perfectionis liceat.

Documentum XI. — Cum nullo, etiam qui videatur magis devotus, novitiatus tempore, particularem amicitiam aut familiaritatem ineat; sed omnes amore sancto, tamquam unius matris fideles filios amplectatur. Libentius tamen et frequentius, ad imitationem B. Berchmans, tempore ab obedientia præscripto, conversari cum iis liceat, quos regularum observationi et perfectioni magis addictos animadverterit.

Documentum XII. — Curam minimorum magnam gerat, ut de P. Nicolao Lancicio (c. 4, vitæ ms.) refertur : « curam minimorum nunquam intermisit; jam tum in novitiatu initium fecit minimorum fugiendorum et faciendorum, et hanc frequenter in ore habebat

sententiam : Nihil parvum putandum, quod summa æstimet Majestas ; nihil leve, quod summa reprobet Sanctitas. »

Documentum XIII.— Summopere sibi commendatam habeat regulam de silentio, neque eam violet. P. Lancicius Patri Casimiro Wijuck Kojalowicz, Theologiæ doctori et vitæ ejus postmodum scriptori, sæpius diserte confirmavit, se toto tirocinii biennio nunquam silentii legem transgressum esse. Sanctus quoque Aloysius, hujus legis ad aliorum admirationem custos, crebro illud a S. Jacobo prolatum usurpabat : *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio* (c. 1. ℣. 26).

Documentum XIV. — Omnes cogitationes fiduciam erga Deum minuentes, ac pusillanimitate aut tristitia animum constringentes, tanquam blasphemias rejiciat. E contrario cogitationes animum erigentes, et lætitiam in obsequio Dei ac spem erga Deum augentes, foveat. Imitari conetur S. Stanislaum, semper vultu hilarem ac suavem ; et B. Joannem Berchmans tantam semper oris hilaritatem præ se ferentem, ut cum aliqui S. Hilarium aut S. Lætum facete appellarint.

Documentum XV. — Maximi æstimet gratiam vocationis ad Societatem, tanquam pignus haud dubium æternæ prædestinationis ad cœlestem gloriam ; atque pro hoc eximio dono in dies Deo gratias agat in me-

ditatione, in sacro, in examine. S. Stanislaus de cœlesti religiosæ vocationis dono vix umquam sine præclara verborum magnificentia et uberrimis lacrymis loquebatur. P. Franciscus de Corduba, vir claro loco natus, tanti faciebat se esse religiosum Societatis ut diceret paratum se esse jurare, nolle se vestem religiosam commutare cum purpura Cardinalium et tiara Pontificis. Nec secus sentiebant P. Petrus Ribadeneira, P. Mauritius de Buren et innumeri alii, ut in vitis eorum legitur.

—

Omnibus ergo abdicatis, Creatori tuo te redde placitum ac fidelem, ut veram valeas apprehendere beatitudinem. De Imit. Christi. lib. III. c. 1.

MONITA

NE QUIS ABERRET IN VIA PERFECTIONIS.

—

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua (Ps. 118. v. 101).

Monitum I. — Anima ad orationem accedat, omni affectu commodi proprii exuta, sine præsumptione et arroganti desiderio gratiarum singularium, luminum, quietis, revelationis, etc. Ejusmodi enim arrogantia minime consistere potest cum istis donis; et qui superbis illis desideriis abripi se pateretur, ignoraret penitus quomodo Deus agat cum servis suis, quos modo affligit, modo consolatur, prout ipsis magis expedire judicaverit. Evenit etiam nonnunquam, ut Deus sine mensura consolationes et gratias in animam effundat, quamvis hæc ad eas accipiendas jus aliquod se habere blandiri sibi minime possit. Aggrediatur itaque orationem propter Deum, non propter consolationem, unde fiet ut multa merita acquirat, cum semper in omnibus exercitiis puram et rectam placendi Deo habuerit intentionem, sive ariditates adsint, sive consolationes.

Monitum II. — Cognoscere studeat discrimen quod existit inter appetitum rationalem et sensualem, ut huic semper resistat, illum autem in omnibus sequatur. Etenim ratio et sensus sunt illi duo interni seu domestici inimici, inter quos civile quoddam bellum nunquam non flagrat. Hac cognitione tollentur multæ ignorantiæ, afflictiones vel tristitiæ; ut cum multi existimant in malo statu se esse, quia non experiuntur devotionem sensibilem, nec speratam in piis exercitiis consolationem; quæ causa multos e sublimi virtutis gradu dejicit, multorumque internam pacem perturbat. His positis facilius cognoscet discrimen quod intercedit inter devotionem substantialem et accidentalem : substantialis devotio, juxta doctrinam S. Thomæ, est voluntas prompte se tradendi iis quæ pertinent ad Dei obsequium; qua se offert ad eadem magno animo præstanda, non aliter ac Israelitæ qui (Exod. c. 35, 21) *obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino.* Hinc fit ut homo dicere possit : *Paratum cor meum, Deus,* (Ps. 56) *paratum cor meum,* ad amplectendum quidquid tibi placet, ad detestandum quidquid displicet tibi. Accidentalis vero, seu sensibilis devotio, est quasi lenimen aliquod et munimen contra repugnantiam carnis et impedimenta devotionis substantialis. Studeat igitur devotionem substantialem semper habere, sed accidentalem non inordinate affectet; qua, si data fuerit, cum humilitate et gratiarum actione utatur ad spiritualem profectum.

Monitum III. — Accedens ad servitutem Dei, sciat quid Deus requirat a se, ne iis neglectis quæ Deus præcipit, frustra et multo labore iis acquirendis incumbat quæ Deus non exigit. Hoc autem inter cætera Deus a nobis exigit, ut e corde nostro malignam superbiæ radicem evellere conemur, et ut strenue resistamus desideriis magnæ apud alios existimationis obtinendæ. Nam appetitus iste Lucifero proprius, impedit quominus Deus animam nostram subintret, ac in nobis illa operetur quæ optat et in animabus vere humilibus operari consuevit. Curet igitur ut cognoscat illius vitii malitiam, et injuriam quæ Deo per illud infertur; omnisque opera huc conferatur ut ex animo exstirpetur.

Monitum IV. — Caveat ne proprio suo judicio in via perfectionis regere se velit, sed Patris spiritualis consilia sequatur in omnibus. Dæmones enim animadvertentes tirónem aliquem suis ipsius viribus incaute fidentem, mira arte paulatim eum decipiunt, eoque rem deducunt, ut præter exspectationem in ruinam cadat. Etenim rationes, quæ speciem veri præ se ferre videntur, ipsi proponunt, quibus intellectus in errorem inducitur, et simul sensibilem in eo fervorem excitant, sanctisque desideriis illum inflammant. Ex quo fit ut sibi magnopere placeat, repleatur securitate ac fiducia propter bona quæ sibi videtur agere, et aversione ab alterius, etiam Patris spiritualis, judicio. Hinc quantum periculum immineat, nemo non videt.

Crebro igitur ad consilia Patris spiritualis quisque confugiat, ut rectam acquirat cognitionem viæ illius bonæ, per quam Deus se velit ducere.

Monitum V. — Magni faciat omnes devotiones quas Ecclesia sua auctoritate comprobavit et quæ cum fine Instituti nostri conveniunt. Ipsis enim non mediocriter juvabitur ad magis amandum Deum. Omnes Sancti illis usi sunt, persuasum habentes solidissimas virtutes teneris devotionibus foveri ac protegi, quemadmodum foliis fructus defenduntur. Fugiat igitur illum præsumptionis spiritum, quo quidam decepti existimant ad solidam virtutem obtinendam eas nihil conferre, easque tam parvi pendunt ut ab earum contemptu vix abstineant.

ARMA CONTRA TENTATIONES.

—

Labora sicut bonus miles Christi Jesu.
(1. Tim. 2, 3).

Primum armorum genus est, persuasum habere, toto hujus vitæ tempore, sustinendas nobis esse tentationes, ne forte, si deficiat ejusmodi stimulus, desides evadamus in servitio Dei et perfectionis nostræ parum solliciti. Ideo quisque, dum pace fruitur, sedulo provideat ne inermis invadatur ab hoste, qui in eo totus est ut vivant homines perinde ac si nunquam tentationibus essent impugnandi.

Multo tamen utilius primo armorum genere ***secundum*** hoc erit, nempe : obligare se ad eliciendum actum amoris Dei, statim ac animadverterit quis se, sive impuritatis, sive superbiæ, sive scrupulorum, aut cujuscumque suggestionis diabolicæ tentatione impeti. Hinc quasi jocando dicat tentatori : age jam; tua opera utar, miser, et quando ad perdendum me venies, amoris divini in me excitandi admonitor et auctor eris. Ex quo fiet, ut tela, quibus nos obruere tentabat dæmon, in ipsum convertantur eumque feriant. Unde perterritus adversarius ab hac pugna cessabit, quæ nobis non ruinæ, sed victoriæ facta fuerit occasio. Phantasia etiam a pravis imaginibus

quibus forte vexabatur, abstrahetur, quod non modicum ad vincendum dæmonem confert. In omni igitur tentatione, te conjice in sinum Dei, per actum amoris quam intensissimi. Quod si infernalis canis nihilominus adlatrando pergat, ut ejus latratui aures penitus occludas, nequaquam te fatiges; sed ad alia animum applicans, eum contemnas potius atque exsibiles : quod adeo fœdum sit animal, quamvis Altissimo similis haberi velit.

Tertium est, elicere actum tentationi contrarium : contraria enim contrariis curantur; v. g. impugnatur quis voluptatis illecebra, carnem dolore aliquo afficiat, et sæpe tentationem in ortu suo suffocabit. Si sinistro agatur affectu erga aliquem, bene precetur ei; et sic de cæteris pravis animi motibus. Hæc ratio vincendi tentationes ab ipso Instituto nostro nobis proponitur et commendatur.

Quartum est, non existimare tentationes semper esse castigationes a Deo inflictas; sed non raro media esse quibus Deus hominem compellat, ut ad divinum confugiat auxilium, propriam infirmitatem agnoscat, in virtutibus plurimis progrediatur, et hoc pacto multorum meritorum segetem congerat. Hinc tentationes accipiat quisque de manu Dei libenter, tamquam vera perfectionis subsidia; cum gratiarum actione, propterea quod particeps fiat particulæ sanctæ Crucis; quin imo omni abundet gaudio, juxta illud Jacobi (Cap. 1. ỳ. 2) : *Omne gaudium existimate, fratres*

mei, cum in tentationes varias incideritis. Qua de causa? Quia *virtus,* ait Paulus Apostolus, *in infirmitate perficitur :* id est, quo major est hominis infirmitas et validior tentatio, eo majus ei suggeritur a Deo auxilium et illustrior obtinget victoria : hac utique conditione ut homo infirmitatem suam agnoscat et ad orationem confugiat. Insuper quo magis quis tentationibus contra aliquam virtutem exercetur, eo perfectior in eadem virtute evadet ; quia exercitium quod tentationes præbent, egregie virtutem edocet.

Quintum armorum genus est, amor erga B. V. Mariam, eaque in hanc amantissimam matrem fiducia, qua firmiter credas neminem unquam periturum qui ad eam confugerit. Statim igitur ac audies milvi infernalis sibilum, illico pulli instar sub alas matris confuge, auxilium ejus inclamans : O Domina, *vim patior, responde pro me.....* Monstra te esse matrem, etc.

Sextum est, memoria novissimorum : de his igitur in promptu studeas habere sententias, quas, exsurgente tentatione, jaculorum instar, in hostem retorqueas. Quum autem Satan tanto te aggredi possit impetu, ut memoria hujusmodi sententiarum plane non recurrat, expedit ut frequenti talium actuum usu, eorum eliciendorum habitum contrahas ; quo fiet, ut tempore pugnæ eos facilius exercere valeas.

Septimum armorum genus est, aperire omnes tentationes Patri spirituali ; quam manifestationem, ut

constans experientia docet, plerumque sequuntur effectus mirabiles, idque confestim et sine mora, propter efficaciam hujus actus humilitatis.

Octavum est, prompta et sincera tui demissio in conspectu Dei, qua te omni afflictione dignum judices, dicens : merito, Domine, hæc patior, et digna factis nondum recipio.

Nonum est, beneficiorum divinorum recordatio, ita ut dicas cum Joseph Patriarcha : *Quomodo possum peccare in Deum meum?*

Decimum est, perturbationem omnem et nimium timorem vitare, dum tentatio animam pulsat. Neque angaris animo propterea quod impetum tentationis vehementer sentis; non enim nocet sensus, ubi non adest consensus. Post tentationem, abstine prorsus ab anxio examine, quo nimirum dispiceres utrum fuerit culpa admissa, necne; præterquam enim quod ad nullam dubii solutionem pervenies, animi angustias ejusmodi inquisitione augebis, et tentationem, quæ jam cessavit, revocabis, ita ut periculo ei consentiendi denuo te exponas. E contra, actu amoris Dei elicito, te in pace constitue, et quando conscientiæ examinandæ tempus advenerit, inspice non quidem cogitationes quæ tibi tentationem injecerunt, sed utrum voluntas tua deliberate in Dei offensionem consenserit.

—

Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël. Ps. 120. ℣. 4.

INDUSTRIÆ CONTRA DEFECTUS.

—

Septies cadet justus et resurget.
(Prov. 24. 16).

Conare semper in spiritu et virtute proficere, magna mentis alacritate, quin cadas animo, aut minus fortiter persistas in pugna, etsi profectus tibi videatur fere impossibilis ob protervam naturam et defectus continuos. Qui secus agit, manifestum incurrit periculum, ne ab aratro manum amoveat, et pusillanimitate pressus, virtutis tramitem penitus tandem deserat. « Nam omnium tentationum ignavissima, ait S. Franc. Salesius, est animi dejectio. » Cui periculo ut occurras, hæc sæpe animo revolve.

I. Cave ab imprudenti profectus desiderio, quo scilicet præsumeres profundas passionum radices intra biduum evellere, et quasi uno conatu ad sanctitatis culmen pervenire. Hæc præsumptio indicium foret te prorsus ignorare quo pacto soleant animæ ad sanctitatem perduci. Etenim in hoc opere sanctificationis Deus et homo, gratia et natura una concurrunt, ita quidem ut Deus principes sibi partes vindicet. Jam vero licet Deus possit repente hominem in magnam perfectionem extollere, quod et aliquando fecit, ut in

sacris litteris legimus; hæc tamen non est consueta ejus agendi ratio, sed pro sapientia sua operationem suam legibus naturæ, quas ipse condidit, accommodat. Hæc est autem nostræ naturæ lex, ut paulatim et per gradus quosdam proficiat, non vero ut subito plenum suum accipiat incrementum.

Eadem profecto ratione gratia naturæ vires adjuvat et perficit; robur addit voluntati, ut quæ per se non poterat in ordine supernaturali, jam possit efficere; eamque quasi per gradus a virtute ad virtutem, a facilioribus ejus ad difficiliores actus deducit, minime vero a statu imperfectionis ad ipsum sanctitatis fastigium protinus rapere solet.

Nemo igitur per hanc viam volare tentet qui alis se destitutum videt, sed studeat pro viribus pedetentim progredi. Quandoquidem non exigit Deus ut anima a domesticis hostibus subito liberetur; sed quibuscum decertet relinquit, ut continuam habeat et humilitatis et meriti occasionem.

II. Qui religiosæ perfectionis iter ingreditur, similis est puerulo primos gressus formare conanti; qui, si nimio timore perculsus, se loris relictis movere non audet, nunquam procul dubio solus incedet. At quum, excusso terrore, audacter gressus figit, titubat utique, labitur etiam frequenter, verum in pedes rursus se erigit, novosque conatus adhibet, quoad tandem recte et absque ulla hæsitatione gradiatur.

Ita fervens quoque religiosus sæpe cadet in via

perfectionis juxta illud Prov. 24. 16. *Septies cadet justus*, sed attendat verbis proxime sequentibus : *et resurget*. Resurgat igitur, eumque pudeat in defectuum suorum pulvere vecordem torpere. Audiat quod prudenter scribit S. Franciscus Salesius : « Quo » pacto nos a defectibus nostris emendabimus? Si pa- » tienter nobiscum ipsis agamus, et orta ex imper- » fectionibus nostris perturbatione repulsa, generose » surgamus a lapsu, et ita singulis diebus denuo inci- » piamus. Ex infirmitate, quin animum advertamus, » labimur; sed remanet semper voluntas Deo ser- » viendi. »

III. « Sunt, ait idem S. Franciscus Salesius, qui » conscientiæ cuticulam adeo teneram habent ut, si » forte aliquem defectum commiserint, de illo tam » inordinate doleant, ut impatienter illum ferant, et » ita in graviorem defectum incidant. Quod sane pro- » venit ex proprio amore, qui quo magis est absconditus, eo majus periculum affert. Enimvero tam » bene de se ipsis sentiunt, ut conturbentur simul ac » in defectum quempiam prolapsos se animadverte- » rint. Nos e contra ex imperfectionibus nostris in » humilitate proficere discamus; quod si præstiteri- » mus, damnum ex defectibus emergens abunde repa- » rabimus, ita ut salutem ex inimicis nostris repor- » temus. » « Qui se errasse comperit, ait S. P. N., » non cadat animo; etiam errores prosunt ad sanctita- » tem. » Alacriter igitur resistendum est superbiæ

illi, qua nostrorum defectuum inordinate nos pœnitet; quum ea non raro utatur dæmon, ut delinquentem ad desperationem usque perducat. Sic egisse visus est cum Juda proditore. Ista porro pœnitentia inutilem noxiamque in anima tristitiam fovet, quæ nec a Deo nec propter Deum est, sed ex quadam amoris proprii occulta radice originem ducit.

IV. Persuasum habeas te statum religiosum amplectendo, sacrificium Deo obtulisse quod ad magnam ipsius gloriam cedat, teque divino ejus cordi valde carum faciat. Quare, etsi lapsus tui quotidiani Deo displicent, idcirco tamen minime cessat a tenerrimo illo amore, quo te, propter istam tui oblationem, complectitur. Tecum agit Deus, matris instar, quæ quidem de infirmitatibus et defectibus filii sui contristatur; at non propterea eum minus diligit. Imo quo debilior, infirmior et deformior ille est, eo majori cura et sollicitudine cor maternum in eum ferri videmus.

V. Disce distinguere inter varia relapsuum genera. Prorsus sunt detestandi relapsus, orti ex perversa voluntate quæ, affectu ad peccata quædam venialia non exuto, in eis sibi deliberate complacet. Horum relapsuum principium, perversam nimirum voluntatem, strenue impugnemus necesse est; nec ante quiescendum, quam penitus exstirpatum sit. Sunt autem alii relapsus, qui ex miseria et fragilitate naturæ corruptæ proveniunt; de his utique gemamus, eosque

in dies minuere conemur; illis tamen nos ad ultimum usque vitæ halitum, saltem ex parte, obnoxios fore persuasum habeamus.

VI. Quum infirmitas nostra limites et modum nesciat; quumque non raro accidat, ut ipsa voluntas nostra in offensionem Dei consentiat : summum de infinita Dei misericordia persuasionem animo inseramus oportet. Caveamus proinde ab illorum errore, qui iræ et vindictæ motus Deo tribuunt quos viro honorato qui offensus sit, tribuere non auderent. « Miseriis nostris, ait S. Franciscus Salesius, innititur thronus misericordiæ divinæ; si enim non essent » in mundo peccata condonanda, dolores leniendi, » animorum morbi sanandi, non esset quo pulcherrimum divinæ essentiæ suæ attributum Deus exerceret. »

VII. Deo non parum procul dubio placet fiducia illa, qua post lapsum veluti filii ad ipsum dolentes festinamus, veniam precamur, majoresque ut addat vires enixe rogamus. Itaque etsi centies per diem caderemus, centies surgere nos oporteret, semperque a Deo humili quidem, at fidenti etiam animo veniam expostulare. Ex diffidentia enim nostra dæmoni occasio præbetur nobis mendacia, quorum ipse pater est, suggerendi, v. g. Deum esse fessum tam frequenter condonando, auxilium Dei non sufficere, conatus inutiles esse, etc.; quibus nobis creare tristitiam et tædium intendit, et tandem nos ad perfectionem nostram

prorsus negligendam perducere. Quum e contra, si post lapsum ad Deum oratione humili et fiducia plena confugiamus, pax, spirituale gaudium et desiderium ardens ad pugnam redeundi illico in mentibus nostris renascentur.

VIII. Animum adverte ad boni et mali spiritus agendi rationem cum tentaris; et experieris spiritum bonum menti nostræ defectus, et eorum majorem minoremve gravitatem proponere antequam committantur, ac sedulo adniti ut ab illis committendis voluntatem avertat; malum vero spiritum illos extenuare, et tanquam nugas traducere. Postquam autem lapsus est homo, mutant hi duo spiritus vultus suos. Malus spiritus commissam culpam mirum in modum adauget et exaggerat, hominem proclamat perditum, Deum nunquam placandum esse mentitur; bonus e contra spiritus animæ levamen affert, difficultatem in venia petenda minuit, et ad veram pœnitentiam fiduciamque adducere conatur. (Cfr. *regulas S. P. de discretione spirituum*).

IX. Quemadmodum cibus veneno infectus nauseam stomacho creat, ita defectus nostri ariditates, tædium, aliasque amaritudines in anima producunt, quibus Deus, ut Pater amantissimus, pœnam a nobis repetere ex misericordia dignatur. Patienter igitur correptionem istam, utpote leviorem purgatorii pœna nobis debita, generose sustineamus, et hac ratione ite-

rum in defectibus nostris exercitium virtutis, patientiæ nimirum, inveniemus. (Cfr. *De Imit. l. III. c.* 57).

X. Ad fiduciam nostram, alacritatemque in divino famulatu fovendam, bene perspectum habeamus, præ fragilitate nostra humana, nos non posse omnes vitare defectus, imo nec peccata venialia, sine speciali Dei gratia, ita docente S. Matre Ecclesia. Concilium enim Tridentinum (*Sess. VI. De Justificatione*, *can.* 23) anathemate damnavit eum qui dixerit hominem « posse in tota vita peccata omnia etiam venialia » vitare nisi ex speciali Dei privilegio quemadmodum » de beata Virgine tenet Ecclesia. » Humiliter igitur agnoscamus imbecillitatem nostram, Deique providentiam et amorem miremur, quo nos in majores defectus, vel in graviora labi peccata non permittit.

DE FONTIBUS DEFECTUUM

QUOTIDIANORUM (1).

—

Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. 8. 21).

Quum defectus nostri innumeri sint, perdifficile est contra omnes simul pugnare; ideoque ad fontes eorum recurrendum est, ut iis per divinam gratiam et ope examinis particularis obstructis, vitiosi rivi paulatim exsiccentur. Sunt igitur fontes hi :

1. Defectus intentionis, seu intentio vel nulla, vel frigida, vel non pura, sed permixta captationi propriorum commodorum, etc. Hinc opera, alias in se bona, non omnino Deo placita, sed ex parte vitiosa redduntur.

2. Oblivio Dei præsentis, quam pro causa peccatorum assignat Psaltes : *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore* (Ps. 9).

3. Dissimulatio gratiarum a Deo concessarum ad evitandas imperfectiones. Dissimulatio hæc provenit

(1) Ex P. Pawlowski.

partim ex pusillanimitate, partim ex fuga molestiæ, partim ex humano respectu, partim ex negligentia et defectu recollectionis internæ.

4. Neglectus ordinis, temporum et actionum; quo fit ut exercitia spiritualia festinanter peragantur, et interdum omittantur aut decurtentur.

5. Languor mentis, et tepiditas quædam, Deo nauseam excitans, juxta illud Apoc. 3. « *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* »

6. Defectus silentii, qui hoc efficit in religioso ut ejus vana sit religio, juxta S. Jacobum, cap. 5; et ut non possit non peccare : *Nam in multiloquio non deerit peccatum* (Prov. 10. 19).

7. Respectus et rationes humanæ, amicitiæ quædam particulares, dulciter persuadentes violationem regularum et sanctarum consuetudinum, jacturam temporis, etc. Imo, per hos respectus interdum despicitur Deus.

8. Quærere seipsum et propria commoda. Religiose! si credis Christo et si discipulus ejus es, perde te, et invenies te.

9. Inconstantia animi, quæ inducit ad proposita deserenda.

10. Non evitare occasiones, personas, loca, etc., in quibus experientia docuit commissos esse defectus. *Qui amat periculum, in illo peribit* (Eccli. 3. 27).

11. Negligens præparatio ad meditationes. Ex negligentia illa sequitur mala meditatio; ex mala meditatione, defectus multi per diem.

12. Negligens custodia sensuum. Etiam in Religiosis per has fenestras, non tantum defectus, sed et mors ascendit.

13. In sua agendi ratione duci imaginatione, passione aut impressione etiam pia et bona, non vero principiis rectæ rationis et fidei.

Cfr. P. Pawlowski, qui hæc fusius explanat in opusculo *Locutio Dei ad cor religiosi*, diei 3 consideratione.

MONITA MEDITATURO UTILIA.

In meditatione mea exardescet ignis.
(Ps. 38. ℣. 4).

I. Cura in primis ut diligenter et constanter illa monita observes, quæ S. P. N. Ignatius in libello exercitiorum additiones vocat, et quæ ante et post meditationem servanda præscribit. Persuasum habeas meditationis successum plurimum inde pendere. Enimvero quum in meditatione Deus et homo partes suas agant, nimirum : Deus suæ gratiæ subsidio, homo animi præparatione, quæ potissimum in accurata additionum observatione consistit ; si quis additiones negligeret, officio suo non fungeretur, divinæ gratiæ obicem poneret et fructum valde exiguum ex meditatione reportaret. Attente igitur materia meditationis legatur vel audiatur, fructus prævideatur, et vespere ac mane mente volvatur.

II. Servatis additionibus, meditationem auspicare cum animi liberalitate, et firmo proposito parendi sine ulla resistentia Spiritui Sancto, quamvis difficilia a te peteret.

III. Meditaturus, allabora ut compositos habeas animi motus, mentemque quietam, juxta illud antiquorum : adoraturi sedeant : id est, ne sint turbati, sed nimiæ rerum agendarum curæ moderentur, fruanturque sancta libertate, ad quam obtinendam, animi pacem servent. Sic stude constanter animum collectum servare, quod facile præstabis, si precibus jaculatoriis, iisque frequentibus utaris.

IV. Summa animi et corporis reverentia tibi cordi sit per totam meditationem. Nihil adeo diabolum cruciat quam honor ille qui per hanc reverentiam Deo exhibetur. Inde fit ut, modo prætextu valetudinis, vel defatigationis, modo vana spe melius meditandi si situs mutetur, hanc impediat reverentiam; invidet enim Deo honorem, et illum si posset ei eriperet. Noli igitur aures præbere acerbissimo Dei inimico, nec corpori tuo nimis delicato, quod forte situm commodiorem emendicat. Ob oculos tibi propone præclara exempla P. Ludovici de Ponte, P. Bernardini Realini, P. Mauritii de Buren, et quam plurimorum aliorum qui orationis tempore in medio cubiculo, absque scabello aut fulcro genibus flexis orabant; tu saltem immotum habe corpus, oculos defixos in imaginem vel demissos, manus ante pectus erectas aut decussatas. Quod si genibus flexis ob valetudinem aut aliam causam orare semper non possis, in pedes te erige, aut alio situ utere, sed eo qui devotionem et angelorum modestiam sapiat, non qui somnum arcessat.

V. Multum satagit dæmon, ut aliquid saltem a tempore orationi deputando decerpatur, probe gnarus eum qui oret, in fine consolationem atque cœlestem lucem recepturum esse, quemadmodum ille qui terram effodit, ad ultimos laboris conatus thesaurum invenit. Tempus itaque nunquam contrahendum est, sed potius aliquantulum protrahendum.

VI. Si tempore orationis, incideris in mentis evagationes ac perturbationes, in ariditates aut tentationes quibus dæmon laborat nos irretire, maxime cura ut redeas confestim ad cœptam meditationem, et non desistas ab illa ob quemdam animi mærorem aut, quod inde nascitur, fastidium. Certum enim est Deo valde acceptam esse talem orationem, ac nobis meritis refertam, cum, ut in ipsa perseveremus, heroicis ferme interdum actibus patientiæ et humilitatis nobis opus sit. Quæ quum ita sint, quo major est ariditas, quo molestiores sunt distractiones, eo magis animi pacem servare curemus; imo, orationis ope, vires novas resumere studeamus, roburque nobis addamus ad profligandas istas tentationes : probe intelligentes hanc esse viam qua omnes Sancti ad perfectionem pervenerunt. Sequamur exemplum Christi, qui factus in agonia prolixius orabat, quamvis foret tristis usque ad mortem, et speremus nos in tempore opportuno auxilium esse accepturos a Deo, qui veniens veniet et non tardabit, quum forte vel minime exspectabimus. Quod si tamen ex aliquo capitis aut corporis incom-

modo, ita animum aridum aut distractum sentias, ut neque ejus facultatibus ad rem considerandam recte uti neque affectum ullum ciere valeas, tunc unam aliquam ex hisce industriis adhibe.

1. Voluntatem tuam cum omni patientia ad divinam voluntatem conforma; et non dejiciaris animo, etsi timeas ne tua culpa male succedat meditatio. Sed, sicut Palladio suasit in simili desolatione S. Macarius, propter Deum cellæ parietes custodire, ita patienter genuflexus permane, ante Domini atrium excubias agens.

2. Humilia te, sine pusillanimitate tamen aut dejectione animi, coram divina Majestate, indignum te plane reputans vel minima Dei illustratione aut consolatione, ob tuos innumeros defectus; imo maximum existimes beneficium tibi licere adeo pauperi coram ditissimo, adeo debili coram omnipotenti, filio ingratissimo coram amantissimo Patre genuflectere, eumque adorare ac revereri. Imiteris Dei Matrem sub cruce stantem, nec quæras quæ tibi, sed quæ Deo placent, cui profecto talis perseverantia acceptissima est.

3. Confugias ad saluberrima Christi vulnera ejusque amarissimam passionem. Hujus igitur unum vel plura mysteria considera; contemplare Christum, vel afflictum in horto, vel consputum, vel flagellatum, vel crucifixum; et in hac contemplatione magnum solatium invenies.

4. Confer te etiam in ariditate tua in cœlestem Jerusalem, eamque mendici instar perambulans, a singulis sanctis et angelis eleemosynam collige, modo a virginibus, modo a confessoribus aliquid efflagitando; denique coram regina cœli, Christo Domino, et ipsa SS. Trinitate supplicans tuas necessitates expone, affectu et fervore quo potes maximo.

5. Adhibe colloquia cum Deo et Sanctis; actus fidei et charitatis elice, vel orationem dominicam aut aliam attenta mente recita.

6. Lege cum consideratione meditationis materiam, aut caput ex Imit. Christi, v. g. Lib. I. cap. 15, 19. Lib. II. cap. 8, 9, 11, 12. Lib. III. cap. 4, 5, 6, 10, 16, 18, et licet etiam aliquam ariditatem patiaris, in his nihilominus persevera; non enim laboris nostri fructum, sed conatum remuneratur Deus.

VII. Si vero consolatio tibi datur, triplicem esse scias : una est perfecta, alia imperfecta, tertia falsa et noxia. Perfecta et vera, non est violenta, non impetuosa; sed tranquilla, lenis et modesta; illustrat, humiliat, attollit; sed non inflat; corroborat animam, carnem debilitat. Imperfecta nobis facile suadet nos jam esse divites, quum simus pauperes, cœci etc. et admixtum habet plurimum terreni pulveris. Falsa denique est illa cujus auctor est diabolus; hujus signa sunt : **a.** Quando non est interna, sed magis trahit ad sensualia quam ad solidas virtutes. **b.** Quando plus

habet luminis, quam fervoris impellentis ad mortificationem, humilitatem, laborem, etc. **c.** Quando præcipue tendit ad oblectationem sensuum, et ad motus parum castos excitandos. Ex quibus signis facile opus dæmonis cognosces. Si vero primi generis est consolatio, eam cum humilitate et gratiarum actione accipe; sed nequaquam in ea consistere credas totam tuam perfectionem, verum utere illa tanquam medio ad finem a Deo dato, id est, ad excitanda in te magnæ perfectionis desideria, ad orationem frequentem et abnegationem continuam exercendam. Si tibi negatur ejusmodi consolatio, quærere eam licet indirecte, semper tamen cum magna indifferentia et æquanimitate; v. g. opera illa bona obeundo, propter quæ a Deo datur consolatio. Non autem directe quærenda est, v. g. opera bona peragendo, ut detur consolatio; nam actionum nostrarum finis consolatio esse non potest.

Confer in libello *exercitiorum* additiones et annotationes quæ ad meditationem instituendam pertinent; item opusc. *de ratione meditandi;* et Epist. A. R. P. N. Joannis Roothaan *de spir. Exerc. S. P. N. studio et usu.*

DE AMORE ET OBSERVANTIA

REGULARUM.

Digitus Dei est hic (Verba Pauli III approbantis Inst. Soc. vivæ vocis oraculo).

Maximi momenti est, ut Societatis nostræ novitii singularem regularum nostrarum amorem et æstimationem cordi suo imprimant; unde alacritas et fervor oriatur ad omnes regulas, tota deinde vita, quam diligentissime observandas. Ad quod conferet sequentes rationes crebro perpendere.

I. S. P. N. Constitutiones conscripsit, ut « juvarent ad melius in via incœpta divini obsequii procedendum, juxta Instituti nostri rationem (*Procem. const.* §. 1). » Ideo, ex mente ejus, constitutiones et regulas observare nihil aliud est quam facilius et citius virtutes omnes, ac proinde perfectionem ipsam acquirere. Igitur ab observatione regularum pendet uniuscujusque nostrum sanctitas, ac Societatis universæ conservatio et decor. Etenim regularum observantia multum valet ad exemplum et ædificationem externorum procurandam, ad bonum Christi odorem con-

servandum et propagandum; cum e contra sine regularum observatione nullus ordo, in Societate nulla stabilitas, nulla proximi ædificatio, nullus fructus ad bonum animarum sperandus sit. Quantum itaque a regulis recedis, tantum a perfectionis semita et ab exemplari tuo Christo deflectis, simulque a gradu gratiæ et gloriæ misere excidis.

II. Regulæ nostræ a S. Patre nostro, non absque afflatu et instinctu Spiritus divini conscriptæ sunt. Suadet hoc 1° Oraculum Pauli III de Instituto nostro dicentis : Digitus Dei est hic; approbatio Gregorii XV et Pauli V, qui Constitutiones esse a Spiritu sancto aspirante attestantur. 2° Suadet hoc S. Ignatii constitutionum conditoris eximia sanctitas. 3° Idem suadent tot preces, tot considerationes, sacrificia et lacrymæ S. Patris Nostri : cum ipse de solis modestiæ regulis, ministro in earum promulgatione negligenti testatus sit, se antequam eas conscriberet septies et amplius coram Domino orationes et lacrymas fudisse. 4° Quia S. Fundatorem constitutiones scribentem, per singulos dies, divina bonitas tot illustrationibus, revelationibus et visionibus donavit, quæ ab ipso S. Patre propria manu in libellum relata sunt. Noli igitur Spiritus sancti inspirationes negligere, S. Ignatii Patris tui preces ac lacrymas parvi pendere. *P. Dirckinck. Horol. excit. Instr.* II. §. 3.

III. 1° Regula sepes est, qua Christus suam Societatem per S. Ignatium, veluti vineam, munivit :

« *Sepem circumdedit ei.* » (Matth. cap. 21.) Ut eam velut hortum floridum a feris noxiis protegeret : « *Qui autem dissipat sepem, mordebit eum coluber.* » (Eccl. 10. 2.) Est firmum antemurale. « *Urbs fortitudinis nostræ Sion* (Societas) *et antemurale* (regularum). » Hoc antemurale si illæsum custodieris, longissime a transgressione mandatorum aberis. 2° Regulæ sunt velut norma ad quam actionum bonarum lineas, recta ad centrum seu Deum ducimus; sunt amussis, secundum quam ædificium spirituale rite disponimus et solide construimus. 3° Sunt denique scala, quæ religiosum ad perfectionis culmen et ad cœlum ducit. (*Id. Ibid.*)

IV. Quanta regularum studiosis sint a Deo promissa, facile consequeris ex his S. Spiritus oraculis quæ aliqui SS. Patres de religiosorum ordinum Fundatoribus interpretantur : « *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo* » (Prov. c. 1). « *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia* » (Gal. 6. 16). Verbo, visne vitam agere felicem in Societate? Regulas serva. Eas observando, *pacem* invenies cum Deo, cum Superioribus, cum domesticis, cum externis, tecum ipso; *misericordiam* consequeris; nam Deus gratia sua te adjuvabit, ut qui regulas non violas, neque contra divina præcepta culpam admittas.

V. Diligenter igitur ad observationem regularum

incumbe, interna caritatis et amoris lege, quam sanctus Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet, impulsus. Hanc legem nobis sufficere ad urgendam observantiam Constitutionum persuasum habuit S. P. N. et ideo Const. p. VI declarat : nullas constitutiones, declarationes vel ordinem ullum vivendi, posse obligationem ad peccatum mortale vel veniale inducere, ne in laqueum ullius peccati incidamus, et ut loco timoris offensæ succedat amor et desiderium omnis perfectionis. Excepit tamen ipse legislator noster expressum votum quo Societas summo Pontifici tenetur, tria alia vota essentialia paupertatis, castitatis et obedientiæ, et si superior aliquid ex constitutionibus in Nomine Domini Nostri Jesu Christi, vel in virtute obedientiæ juberet.

VI. Etsi transgressio regularum nostrarum non sit *per se* peccatum, potest tamen non uno ex fonte cum peccato conjungi ; nimirum :

1° Ratione *materiæ*. Hinc peccas si violes regulam quæ spectat essentiam votorum; vel quæ versatur circa præcepta legis naturalis, aut Dei et Ecclesiæ; vel quæ præscribit virtutem hic et nunc exercendam, ut temperantiam in cibo, etc.

2° Ratione *motivi* ob quod fit transgressio. Peccatum ergo aderit, si regula violetur non ex honesta aliqua causa, sed vel ex acedia et socordia spirituali; vel ex pravo aut inordinato affectu ; vel etiam, quod majus est, ex positivo contemptu.

3° Ratione *effectuum transgressionis.*

Porro peccat graviter religiosus ratione scandali, si in materia gravi alios inducat ad regulæ relaxationem. Religiosus enim, ait P. Sanchez (*Dec.* l. VI. c. 14. n. 27), tenetur sub mortali ita vivere ut non sit graviter religioni suæ perniciosus, inducendo alios suo pravo exemplo ad nimis relaxandam regulam ; ut esset, si nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere, et ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et similia religionis statuta transgrederetur.

Item peccat mortaliter religiosus qui constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus; tenetur enim quisque ratione votorum, quibus se religioni addixit, ita se gerere ut sit tolerabilis, et non mereatur expelli; at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat expelli, aut si toleretur, plurimum nocet. Ergo per accidens et indirecte agit contra professionem, peccatque mortaliter (*Sanchez. Dec.* l. VI. c. 5. n. 18).

De scholastico autem qui non adhibet diligentiam in cavendis defectibus ob quos se dimittendum vel ejiciendum prævidet, ait Bonacina : et licet ita dimissus sit liber a votis in conscientia, si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata in eum finem commissa, irrita est dimissio, utpote obtenta per dolum dantem ipsi causam, unde subjacet pœnis apostatarum (*Bonacina. De claus.* q. 2. p. 12. n. 1).

DE REGULARUM

CONSIDERATIONE (1).

§. 1. Ejus necessitas.

Qui perfectionis ædificium in se construere aggressus est, debet imprimis ejus ædificii ideam sibi quandam in animo suo formasse, ad cujus similitudinem postea sese, suosque omnes mores fingat et componat. Quare debet frequenter, dum in opere progreditur, eam ipsam intueri, et ad eam omnia sua dicta, facta et cogitata examinare. Verum quia præstans illa perfectionis forma, vel non potest initio a tirone concipi tota et ut in se est, sed sensim et ipso usu, ut experientia constat; vel licet aliquando concepta accurate menti inhæserit, sensim tamen nostris imperfectionibus atteritur quodammodo et evanescit, sic ut eam in nobis ipsis vix amplius inspicere possimus,

(1) Ex P. Le Gaudier p. VI. c. 23.

saltem eo modo ut idea practica esse queat, idcirco opus fuit externum quoddam exemplar effictum ad ejus imitationem ante oculos habere propositum, ut juvet nos ad veram ideam perfectionis in animo vel efformandam, vel renovandam, qua deinde utamur in efficienda ipso facto structura. Hoc præstant in unoquoque ordine leges, seu regulæ et Constitutiones, quæ vere et proprie aliud nihil sunt quam forma ejus perfectionis quæ cuique proposita est. Cum enim ea ipsa forma non sit simplex, sed varias habeat partes, et varia virtutum omnium officia ad finem talis Instituti apte accommodata atque attemperata, non potest ita paucis explicari, sed dissecta in sua membra proponi debet, ut sit ad usum et praxim accommodatior. Atque hæc ipsa membra nihil aliud sunt quam regulæ, quarum crebra inspectione, consideratione, usuque tirones sensim acquirunt internam ideam (sine qua fieri nullomodo potest, ut perfectionis ædificium construant) et sensim etiam ædificant, practiceque totam in se exprimunt. Alii vero vel perficiunt eamdem ideam, vel deletam reparant, vel cum vita pristina, moribusque conferentes intelligunt quid a se peccatum sit hactenus, atque adeo toti suo se Instituto conformantes, dispersas tot in regulis formæ illius divinæ partes in se colligunt et eam integre repræsentant. Propter quas rationes valde necessaria est cuique attenta inspectio Instituti, tum præcipue cum de renovatione agitur.

§. 2. Qualis esse debeat regularum consideratio.

Ut perfecte observari possint regulæ, non tantum sunt bene intelligendæ et in memoria habendæ, ut prompte occurrant, sed etiam perspectum esse debet quomodo ad praxim applicari debeant; quare sæpe diligenterque sunt considerandæ. Hæc consideratio quatuor puncta complectitur.

1° Attente considerateque legenda est regula; deinde remoto libro, comprehendendus est breviter animo sensus, et tota ea perfectio quam continet, est memoriæ imprimenda, ut deinceps prompte occurrat, et regulæ instar sit semper ad manum.

2° Considerandum quomodo ea perfectio quæ ibi continetur, in prototypo exemplari Christo Domino reluxerit, sive ab eo observata quasi fuerit. Regulæ enim sunt nobis externum veluti exemplar, quæ Christi Domini vitam, actionesque repræsentant, quo facilius in nos transferamus excellentem illam perfectionis formam quam ipse nobis proposuit. Quare cum venit nobis in mentem regula aliqua, meminisse debemus Christi Domini prototypi exemplaris, et cogitare nobiscum quomodo illam actionem, quæ hac regula commendatur, obiret.

3° Considerandum est quænam sit praxis et usus talis regulæ; quod ut bene fiat, præsupponi debet regu-

lam dicere respectum ad id, quod per eam dirigi solet; per regulas vero nostras dirigi debent nostræ actiones, tum externæ tum internæ. Itaque praxis et usus nostrarum regularum est actiones illas rectificare : quare, ut bene praxis cujusque regulæ cognoscatur, applicari ea debet ad actiones omnes nostras internas et externas. Nec vero omnes regulæ sunt ejusdem rationis : nam quædam sunt generales, quæ sese extendunt ad omnes actiones, vel certe ad multas; aliæ vero particulares, quæ ad unam vel paucissimas spectant. Cum igitur considerare volumus quæ sit praxis regulæ alicujus generalis, eam veluti manu ducere debemus, vel per omnes diei actiones quas exercemus, conversando cum Deo, cum proximo, et quæ nos tantum attingunt; vel per actiones internas, cogitationes scilicet et desideria, vel externas, verba nimirum et opera; et videre num, cum has actiones obimus, meminerimus nos habere talem regulam a qua dirigi debeant; deinde accurate dispicere quomodo singulæ actiones tali regulæ, et per eam Christi perfectioni sic applicatæ congruant, quomodo exorbitent; quando vero regula unam tantum actionem spectat, ad eam solam applicari debet simul cum prototypo exemplari, vel etiam cum relatione ad finem nostrum. Nam cum in secunda regula dicatur finem Societatis esse nostram perfectionem et proximi, omnes regulæ quæ sequuntur, sunt veluti ad nostrum finem. Itaque debemus illas applicare ad actiones.

quatenus sunt talia media, ac proinde considerare an ita perfecte hanc vel illam actionem fecerimus, prout regula requirit et prout exigit Christi imitatio.

4° Oportebit, si quid distortum in actionibus nostris appareat, de eo dolere, et proponere seriam emendationem, et ad id gratiam per Christi Domini merita postulare.

§. 3. Ejusdem considerationis praxis.

Quo melius intelligatur et utilius exerceatur hæc consideratio, quæ certe magni est momenti, visum est ejus exempla aliqua proponere. Sit igitur considerandа Summarii

Regula prima.

1° Eam attente legam; postea, seposito libello, ejus mihi sensum hunc effingam et in animo versabo: nimirum ejus summam esse quod in Societate duplex sit regula præcipua, una interior, lex nimirum charitatis et amoris, quæ scripta et impressa esse debet in cordibus omnium filiorum Societatis, quaque in omnibus dirigi debent in sancto Dei servitio; altera exterior, quæ ad id juvet; hunc sensum conabor memoriæ imprimere.

2° Considerabo Christum Dominum habuisse etiam quodammodo duas similes regulas. Nam habuit

omnino internam legem amoris Dei, qua impellente sola, etsi nullum habuisset positivum præceptum agendi et patiendi pro nobis, prout habuit, tamen vere ex Dei amore eadem ultro egisset, et passus esset omnia, prout egit de facto et passus est. Et licet non alia regula externa egeret, sicut nos qui sumus infirmi, voluit tamen Deus ei dare præceptum positivum, et legi antiquæ eum subjicere, ut obedientiam exerceret, et legis cujusque utilitatem nobis commendaret.

3° Regulæ praxis, cum sit generalis, versatur circa omnes actiones meas; quare exquiram an aliquando meminerim internæ illius legis; deinde dispiciam quomodo actiones omnes divini servitii exequar a prima diei hora ad ultimam : nimirum an cum mane surgendum est, id faciam alacriter ex lege Dei amoris, et ut ei placeam, et ut Christus ipse faceret; et an id facturus essem, etiamsi non esset in societate regula de surgendo mane. Deinde veniam ad meditationem, et applicata amoris Dei regula, videbo an illa sit quæ me moveat ad orandum, etc. Idem erit faciendum circa studia, officia, humilitatem, charitatem in proximum et singulas diei actiones, imo circa refectionem corporis et animi relaxationem, quam si lex charitatis dirigat, certe non poterit non recte fieri.

4° Si videam me ex consuetudine, vel affectu alieno, vel metu quodam servili, ne ob violatam externam regulam accipiam pœnitentiam, applicari ad ea quæ sunt divini obsequii, non autem ex amoris et charita-

tis interna lege, veniam petam et postulabo per universum Christi amorem, ut eam legem imprimat altius cordi meo, ut sola illa me dirigat, sola illa mihi sit lex.

Regula undecima.

1° Hæc regula est maxime generalis, totiusque perfectionis compendium.

2° Summa ejus est : Societatis religiosus qui serio Christum sequitur, amat et ardenter exoptat contumelias, infamationem et injurias quasvis pati, et abhorrere debet omnino et non ex parte, ab iis quæ mundus amat, scilicet fama, honore, magni nominis æstimatione. Hæc regula deducenda est per omnes actiones diei, præsertim publicas, vel quæ ordinem ad publicas habent, ut sunt studia. Videndum, an in meditationibus meis hæc ardentia desideria concipiam Christi exemplo, et ita abhorream a mundanis rebus et mundo. Item in studiis quomodo me habeam? quomodo in conversatione, vel cum honor defertur, vel contra contemptus timeri potest? Nonne soleam potius fugere toto conatu confusionem et ardenter optare honorem, plenus magis spiritu mundano quam Christi? Quantum ergo absum a forma perfectionis vitæ Christi?

IMAGO BONI NOVITII,

ET SIGNA EX QUIBUS CONJICERE LICET EUM FORE GENUINUM SOCIETATIS FILIUM (1).

—

Adolescens, juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. (Prov. 22. 6).

Novitius Societatis bonus, ac postea evasurus bonus ejusdem religiosus, his signis dignoscitur.

1. Nunquam peccatum veniale, cum plena deliberatione, committit.

2. Nihil occultat, nec occultum vult suis Superioribus.

3. Non ægre fert manifestationem suorum defectuum.

4. Libenter admittit pœnitentias, quæ pro veris vel etiam fictis defectibus sibi adscriptis, injunguntur.

5. In omnes se vincendi et se mortificandi occasiones inquirit, easque potissimum quæ sui confusionem et jacturam bonæ opinionis apud alios pariunt.

6. Semper loquitur de rebus ore religioso dignis.

7. In exterioribus ita est compositus, ut prudens censor vix inveniat quod reprehendat.

(1) **Ex P. Lancicio.**

8. Avidius libros spirituales legit qui pios excitant affectus, ut studium virtutum, quam alios qui curiose pascunt intellectum.

9. Cum nullo amicitiam particularem in carne et sanguine fundatam fovet.

10. Amori proprio repugnat in omnibus ; contrarium agendo, cum venia Superioris.

11. Voluntarium in oratione, lectione, cæterisque spiritualibus exercitiis tædium eliminat.

12. Non metitur bonum meditationis fructum ex consolationibus, sed ex amore virtutis et fuga imperfectionum,

13. Magno ardet perfectionis et sanctitatis desiderio, non ob utilitatem propriam, sed ob gustum divinum.

14. Minimam minimarum regularum transgressionem fugit, nihil parvi æstimans, quod ad perfectionem conducit.

15. Optat frequentissime colloqui cum Magistro suo, ac dirigi. 1. Ad cavenda et minuenda peccata ac imperfectiones. 2. Ad consequendas virtutes. 3. Ad perficiendas in dies magis magisque actiones internas et externas.

16. Inter duo bona, id quod perfectius est eligere studet.

17. Nihil in particulari, occupationum, officiorum et locorum eligit, ad omnia resignatus.

18. Semper se lætum ac hilarem, nunquam vero tetricum aut morosum exhibere conatur.

19. De nulla re facile scandalisatur, omnia, quantum licet bene interpretatur et excusat; noxia tamen vel communitati, vel delinquenti, vel alteri, manifestare Superiori non omittit.

20. Denique ita bene fundatus exit e novitiatu ad alia Societatis domicilia; id est, cum tanto odio omnis peccati et imperfectionis, cum tanto amore virtutis et perfectionis, ut etiam absque ullo teste et censore, non minus religiose, perfecte et circumspecte vivat, quam si versaretur in oculis superioris quem maxime revereatur. Et tales pro Indiis et Japonia socios mitti optabat Indiarum Apostolus S. Xaverius : qui scilicet secure, etiam absque socio, ubique degerent.

Ne longior sim, finio cum adhortatione : *hæc fac et vives :* vives, inquam, in Societate jucunde, integre, perfecte, sancte : ut Jesu imitatorem et socium decet; tantum generose incipe : nam dimidium facti, qui bene cœpit, habet. *Si incipis*, monet D. Bernardus l. 5. ad Fratres de monte, *incipe perfecte : nam si perfecte incipis, cito ad perfectionis culmen pervenies.* Et Angelorum instar per scalam Jacob et virtutum omnium gradus ad apicem, Deum, ascendes. Quodsi vero principia hæc neglexeris, crede mihi, numquam tota vita insequente, fervorem Jesu socio dignum demonstrabis. Ut enim lumine naturæ agnovit ipse Aristoteles (Polit. c. 1), *impossibile est, ex primo errore in principio commisso, non pervenire ad extremum mali.*

PARS SECUNDA.

DIARIUM

SEU MODUS RITE ET CUM FRUCTU

ORDINARIAS ACTIONES OBEUNDI.

DIARIUM

SEU MODUS RITE ET CUM FRUCTU

ORDINARIAS ACTIONES OBEUNDI.

DOCUMENTA PRÆVIA.

1.

DE EXEMPLO CHRISTI

IN OMNIBUS HABENDO (1).

In omnibus virtutibus et bonis moribus propone semper clarissimum speculum et totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam et mores Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui ad hoc nobis de cœlo missus est ut aperiret nobis viam virtutum, et legem disciplinæ suo exemplo daret nobis, et erudiret nos per semetipsum; ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad morum ejus similitudinem per imitationem virtutis pro nostra possibilitate re-

(1) Ex S. Bonav. De Inst. Novit. p. I. c. 32.

formemur, qui ejus imaginem in nobis fœdavimus per peccatum. Quanto enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in prima gloria et claritate appropinquabit et similior erit.

Describe tibi in corde tuo mores et actus ejus : quam humiliter se habuit inter homines; quam benignus inter discipulos; quam modestus in edendo et bibendo; quam misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia et qui de ejus specialiter familia videbantur; quomodo nullum sprevit vel horruit etiam si erat leprosus; quomodo divitibus non adulabatur; quam liber fuit a curis mundi nec anxius pro corporis necessitatibus; quam verecundus in visu; quam patiens ad contumelias et quam mitis in responsis : non enim studuit se vindicare verbo mordaci et amaro, sed blando et humili responso alterius malitiam sanare.

Item quam compositus in omnibus gestis suis; quam sollicitus de animarum salute, quarum amore voluit incarnari et mori dignatus est; quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit causa exempli, unde etiam discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur, eo quod quasi insolitum videbatur in ipso.

Item quam patiens laboris et penuriæ, quam compatiens afflictioni. Quomodo condescendit infirmorum imperfectioni; quomodo omne scandalum cavebat; quomodo peccatores non sprevit; quomodo pœnitentes

clementer suscepit. Quam placidus in omnibus dictis suis, quam studiosus ad orationem, quam promptus in ministrando, sicut ipse dixit : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.*

Item quam sobrius ad vigilias. Quam obediens parentibus. Quomodo omnem jactantiam et singularitatis ostentationem declinavit; quomodo omnem gloriam et potestatem hujus mundi fugit, et multa alia ipsius acta memoriæ tuæ propinqua sint, ut in omnibus factis et verbis tuis semper ad hoc quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens et comedens, tacens et loquens, solus et cum aliis.

Et ex hoc magis diliges eum et familiaritatis ejus gratiam et fiduciam assequeris, et in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, et meditatio, et studium, semper aliquid de ipso cogitare unde vel provoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum.

Talia meditando et ruminando tempus utiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Jesum Christum, et mores tuos emendas ad formam vitæ ipsius et conversationis ; semper ad eum respiciens qualiter in his se habuit vel se habere potuit secundum existimationem tuam, quia qui in omnibus semper est optimus, optimo et perfectissimo modo se gerebat.

2.

DE PERFECTIONE OPERUM.

—

In omni conversatione sancti sitis.
(I. Pet. 1. 15).

Hæc secunda pars documentorum spiritualium modum tradit vitam ducendi absconditam cum Christo in Deo, id est, opera ordinaria peragendi, non perfunctorie, sed sancte et perfecte coram Deo. Hæc est vita illa sublimis ac perfecta, ad quam nos Christus Dominus hortatur his verbis : *Estote perfecti* (Matt. V), et Spiritus sanctus per os Ecclesiastici : *in omnibus operibus tuis præcellens esto* (c. XXXIII. 23). Quænam autem debeat esse methodus rite communes actiones obeundi, ex P. Alvarez de Paz (*Oper. t. II. part.* 5. *præf.*) addiscemus : « In hac re, inquit, spirituales » viros bipartitos invenio : quidam enim eorum, alios » suo fervore metientes, tanta dicunt in communibus » diei operibus esse servanda, ut robusti adolescentes » vix ad illa implenda sufficiant; alii vero hæc sub » generali doctrina prætereunt, adeo ut parum ad » communes actiones pertinens doceant. Nos vero » mediam viam tenere cupimus, qua nec virtutum

» amatores plus nimio oneremus, nec tepidis ansam » nihil faciendi et distracte vivendi concedamus. » Et paucis interjectis, hæc addit : « Vitæ rationem scri- » bam, quam tironibus nostris in novitiatu et schola- » sticis nostris in collegiis instillamus, in qua eos usque » ad senectam perseverare concupiscimus. »

Modus autem singulas actiones perfecte obeundi duo requirit : nempe rationem qua *externe* fiunt, et spiritum, seu vitam *internam* qua animantur. Atque de duplici hoc actionum respectu pauca dicenda sunt.

1.

DE EXTERNA OPERUM RATIONE.

Ad *externam* quidem operum perfectionem, hæc tria referri posse videntur :

1. Ordinis diurni observantia,
2. Actionum minimarum cura,
3. Methodus uniuscujusque operis sancte faciendi.

1. Ordinis diurni observantia.

Primum perfectionis adminiculum est : apta quotidianorum operum in singulas diei horas distributio. Ordo est anima rerum, et quemadmodum corpora sine ordine, multum nativæ suæ venustatis amittunt; ita animæ operationes omni fere carent pulchritudine, quum ordine destituuntur.

Maximam proinde ordinis diurni curam habeas oportet, quum ut constanter fideliterque observetur, frequenti virtutum exercitio opus sit. Nec, quia nihil heroici aut speciosi præ se ferunt, idcirco illæ virtutum exercendarum occasiones negligendæ sunt ; prout nonnulli perperam faciunt. Sunt enim qui graves sibi cruces, injurias et tribulationes eventuras fingunt, quas patientissime ferre proponunt : et hac rerum, quæ nunquam forte erunt, inani specie delusi, eximium patientiæ actum se exercuisse arbitrantur ; cum interim multo minores cruces, easque præsentes totis viribus fugiant. Tollendus est hic error, et solerter advertendum : in magnis rarissime, in minimis frequenter adesse patientiæ occasionem, quæ quotidie et omni fere momento potest exerceri.

2. Operum minimorum cura (1).

I. Alterum vitæ absconditæ et abditæ sanctitatis arcanum est : non ut extraordinaria, sublimia, admiranda et mundi æstimatione magna, sed ut opera ordinaria, etiam minima, peragamus, non ordinaria, sed exquisita accuratione et diligentia ; ad exemplum Christi ducis nostri, in omnibus ordinariis operibus etiam minimis accuratissimi. O si licuisset vel per rimulam intueri qua methodo, qua modestia, quo exteriore decoro in Nazarethana domo vel preces fun-

(1) Ex P. J. Dirckinck. Hor. Sch. Inst. præv.

deret, vel cibum caperet, vel matri obediret, vel cum nutritio suo laboraret, vel alia exteriora vitæ communis exercitia perageret! Quis sensus, quæ admiratio, quæ devotio mentes nostras occupasset!

II. Hoc Domini exemplum S. Fundator noster toto vitæ suæ religiosæ tempore sectari studuit. Moribus enim ita fuit compositis, ut nec oculum, nec manum sine causa et ratione moveret. Ceterum in externis operibus præter exactum ordinem, decentem compositionem et exquisitam accurationem, nihil in eo, nisi cuivis Societatis sacerdoti commune, a vulgo notabatur; adeo ut cum de ejus beatificatione primum ageretur, miratus quidam e summis Ecclesiæ verticibus rogaverit quid cogitaret Societas, quod hominem in quo ipse nihil nisi ordinarium notasset, ad Sanctorum honores promoveri postularet? Responsum vero fuit, inter cetera præclare enarrata : hoc plurimum momenti afferre ad honores Beato conferendos, quod cum talia ac tanta fecisset Ignatius, vitæ tamen absconditæ amore sanctitatem suam adeo dextre occultasset.

3. Methodus uniuscujusque operis faciendi.

De hac methodo per totam hanc libri partem agetur; hic quædam dicenda sunt de modo recte variis diarii industriis utendi.

I. In variis rerum agendarum *præxibus*, inferius, a pag. 70, proponendis, illa sunt præ ceteris observanda,

quæ vel obedientia vel regula injungit. Ita v. g. in modo pie surgendi, habes tria præcipua : 1° ut surgas ad signum campanæ; 2° ut cogitationes et affectus foveas meditationi conformes; 3° ut visitationem Sanctissimi non omittas.

II. Quæ minus principalia sunt, et tibi tamen facienda proponuntur, ea etiam adimplere stude; sed sine scrupulosa anxietate. Cor enim tuum vult habere Deus, non contentionem capitis. Age ergo in spiritu libertatis. Si inter Sacrum, Sanctissimi visitationem etc. devotionem inveneris in primis actibus qui tibi commendantur eliciendi, ne sis sollicitus ut ad subsequentes transeas, et in his consiste, donec tibi satisfeceris. Hunc in finem proponuntur tibi variæ industriæ, ut facilius et perfectius opera tua peragas. Si quid igitur in eis occurrat quod te non adjuvet, imo quod forsan te aliqua ex parte turbet, illud præstat omittere.

III. Non raro expedit, ut, servatis iis quæ magis eminent in aliqua praxi, reliqua apte immutentur; tum ut fastidium vitetur, tum ut fervor crescat et augeatur, imo forsitan ut perfectiorem aliquem rei faciendæ modum invenias. Est enim Deo solemne animam a minus perfectis ad perfectioria paulatim ducere.

IV. Si industrias quasdam tibi ipse proponis, cave ne sint minutiæ, quæ scrupulos potius quam profectum juvant. Idem esto de occasionibus proposita tua exequendi.

2.

DE INTERNA OPERUM RATIONE.

Quod ad rationem *internam*, seu animam actionum spectat, tria pariter consideranda sunt :

1. Recta intentio,
2. Mentis fervor,
3. Interna operum perfectio.

1. Recta intentio.

I. Recta intentio illa dicitur, quæ operis sui finem constituit Deum, et ad ejus honorem et gloriam revocat quidquid fit, dicitur et cogitatur. Ea est anima actionum; nam qualis intentio, talis plerumque est actio. Si quis ad extremos Indos pergat, omnesque ibi infideles, multum laborans, ad Deum convertat, non autem propter Deum, sed ut gloriam accipiat ab hominibus, factus est velut æs sonans aut cymbalum tinniens Ut enim docent Sancti Patres, martyrem non facit pœna, sed causa, seu intentio, qua pro fide servanda mors oppetitur. Bona intentio parva extollit et illustrat; magna autem et in pretio habita, prava intentio dehonestat. Ne igitur opera tua impura et vacua in conspectu Dei inveniantur, puritati intentionis omni conatu insiste; ad quod juvabit sæpius de die opera quæ agis etiam actu ad Deum referre, tanquam ad primum principium et ultimum finem tuum. Spe-

cies quædam idololatriæ est Deo præsenti dorsum vertere, et faciem ad idolum : ad aliquam scilicet creaturam, vel ad propriam voluntatem, aut proprium commodum convertere, neglecto Deo et ejus voluntate.

II. Tua autem opera triplici intentione ad Deum referre potes : ut pœnam evadas, ut præmio potiaris, et ob purum amorem ipsius Dei. Prima est servorum, secunda mercenariorum, tertia filiorum est. Prima bona est, melior altera, tertia optima : hac enim in Deum tendis, et ad ipsum omnia dirigis, ut ei placeas, ipsumque honores, ut ejus voluntatem adimpleas, et ut iis quæ agis, te ad intimam cum illo unionem disponas. Illa vero purissima intentio est, quæ nihil proprium in voluntate relinquit admixtum, ipsamque penitus, omni humana affectione abjecta, in Deum transfundit. Ad hanc purissimam intentionem in omnibus operibus nostris habendam adhortatur nos reg. XVII. Summ. Const.

III. Signa autem rectæ intentionis hæc sunt : Non turbulenter rem aggredi, non anxium esse, non distrahi, non perturbari, ob rei eventum minus prosperum non affligi, nec aliorum judicia anxie quærere; omni vana cogitatione post factum carere, opiniones hominum contemnere, æque diligenter omnia facere, sive publice, sive privatim fiant; sive multi sint spectatores, vel auditores, sive pauci; nec laudibus extolli, nec vituperiis dejici; resignatum ad omnia esse, et nihil optare, nihil timere.

IV. Cum intentioni rectæ inanis gloria, aut aliquis inordinatus affectus, dum opus peragitur, facile immisceri possit, quo bona intentio corrumpatur aut etiam destruatur, laudabile et tutius est ut supra monuimus, intentionem actualem crebrius renovare. Ita S. P. N. (in reg. 5. de spir. discr. pro 2. hebd.) nos admonet, ut sedulo et accurate excutiamus cogitationes nostras, circa principium, medium et finem earum; quæ tria si sint bona, tendentia ad id quod omnino bonum sit, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis; sin autem. .... aliquid sequitur quod ex se malum sit,..... evidens tunc erit indicium auctorem esse cogitationis ejusmodi, spiritum malignum. Ceterum, vide plura de recta intentione, in monitis pro negot. spir. in parte III.

2. Mentis fervor.

I. Ut clarius quis ille fervor sit qui opera nostra animare debet intelligas, adverte quod in vita P. Balthasaris Alvarez, cap. 31, scribit P. de Ponte, scilicet fervorem esse duplicem : unus est « juvenum tironum, » qui vehementer effervescunt, et quod intus habent, » cum strepitu quodam exterius effundunt. » Alter fervor est perfectorum, estque « gravis, substantialis » plane, pacatus, et priore etiam diuturnior. » Num vero tu fervorem et qualem quidem habeas, ex analogia alicujus non frigide, sed ferventer et cum quodam animi ardore disputantis aut concionantis, collige.

II. Vir fervens cum promptitudine omnes moras ac difficultates superat; quantumvis ardua generose aggreditur, licet sint amori proprio ingrata. *Quis nos separabit a caritate?* (Rom. VIII). Fervens non fatigatur operando; sed quo plura agit et patitur, eo majora agere et pati desiderat : *Ignis nunquam dicit : sufficit* (Prov. XXX). Ex hoc fervore oritur constantia in ordine diei servando, in operibus communibus perfecte obeundis, atque in omnibus reliquis virtutum actibus exercendis. Fervor enim animi mobilitatem continet, atque in arduis robur illi addit. Ob ejusmodi fervorem, ad tantam constantiam in explenda integre meditationis hora pervenit eruditissimus noster P. Franciscus Suarez, ut diceret : si e duabus altera necessitas imponeretur, vel solitam ritu Societatis horam orandi, vel quæsitam tot annorum labore scientiam amittendi, æquiori se laturum animo hujus quam illius jacturam. Quanta etiam animi constantia fuit P. Franciscus Labata in observantia regularum, qui in publica concione de se dicere non dubitarit, se per quadraginta annos, nullam regulam cum plena animi advertentia fuisse transgressum! (*P. Lanc. op.* 8. *c.* 10).

3. Interna operum perfectio.

I. Potissimum vitæ absconditæ arcanum est, opera externa internis virtutum actibus, sublimibus ac purissimis intentionibus et eximiis intensæ caritatis actibus animare. Atque hoc est secretum illud, quod

S. Maria Magdalena de Pazzis a solo Deo cognitum (c. 6. Vitæ) tantopere commendabat : ut nimirum perfectionis solidæ amator exterius quidem vitam communem ducat; sed interius insignes quosdam virtutum actus, occultas sui victorias, continuam sui abnegationem, passionum et sensuum mortificationem, in falsis delationibus et injuriis silentium, in adversis molestisque rebus patientiam exerceat, aliaque hominibus cunctis ignota, et soli Deo perspecta.

II. Quantus vero hinc meritorum et gratiarum cœlestium cumulus exurgat, sic edisce : manet quispiam in religione viginti et pluribus annis, accedit anno vicesimo Stanislaus aliquis, unius anni tiro, et veterano palmam virtutum præripit. Unde hoc nisi a vita abscondita, ab internis, ferventibus virtutum actibus?

III. Hic spiritus est, hic fervor et amor absconditus qui tantopere Christi Domini actiones, quamvis foris apparerent communia, extulit. O si mentis nostræ oculis in animi ejus arcana penetrare, et vel in præsepio jacentis, vel in Ægypto latentis, vel in oratione pernoctantis ardorem, intueri licuisset, quæ tum fuisset nostræ mentis commotio, quæ sancta devotio! Idem hic latens in corde ardor, Beatissimæ Dei Genitricis, S. P. N. Ignatii, S. Francisci Xaverii, aliorumque sexcentorum Societatis nostræ heroum pectora succendebat. (*P. Dirckinck loc. citato*).

DIARIUM.

I.

DE MODO

RELIGIOSE SURGENDI.

—

Mane oratio mea præveniet te.
(Ps. 87. 14.)

I. Cum mane evigilaveris, sit prima vox tua, quæ postrema futura est : Jesus, Maria. Tum mentem ad Deum eleva, ne ad vana et curiosa volvenda distrahatur. Considera ipsum esse primum principium, et ultimum finem tuum, et piis affectibus ad eumdem aspira, ne pondere corruptionis depressa voluntas ad amorem creaturarum labatur. Sicut oculi corporis summo mane luci sensibili aperiuntur, ita oculi animæ luci spirituali et divinæ aperiendi sunt. Tum etiam cavendum ne prius corpus, quam anima *evigilet*; multi enim sunt quorum anima, vigilante corpore, adhuc dormit; qui videlicet multa negotia terrena peregerunt, antequam cor ad Deum erigant. Homo siquidem expergefactus eo se statim duci sinit, quo

magis inclinatur : qui mundum et creaturas magis diligit quam Deum, statim mundi cogitationibus repletur; qui vero Deum præ omnibus diligit, ad illum protinus convertitur et de illo cogitat (*C. Bona. Horol. ascet. c. I.* §. 1.)

II. Intuere quasi cœlum apertum, et magna animi alacritate Deum cum cœlestibus spiritibus lauda dicens : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas. Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilavi ad te, Deus meus, spes mea, amor meus et omnia, humiliter petens, ut multiformi tua gratia penetralia cordis mei perfundas, et igne tui amoris vehementer accendas* (C. Bona. Ib.).

III. Hæc aut similia dicens, surge velociter, perinde ac si ignis cubili injectus esset. Magni momenti est propere diligenterque surrexisse, a quo fere dependet divina visitatio, totiusque diei fervor et alacritas. Vince te, diem perfecte incipe, et hanc tui victoriam, velut diei primitias, Deo offer. Postquam vero surrexeris, signa te signo crucis, tanquam potenti armatura adversus insidias inimici.

IV. Expergefactus, statim exclusis aliis cogitationibus, animum ad illud applica, quod modo contempla-

turus es, ac sensa futuræ meditationi conformia fove. His cogitationibus et affectibus te occupa, dum e lecto surgis et vestes induis; interim tamen varias elice aspirationes quas tibi tua suggesserit devotio. His v. g. uti poteris : Jesus, Maria, Joseph, sint mecum semper et benedicti in æternum. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo....* etc.

V. Antequam vestem talarem induas, osculare eam devote ac tenero amore ad exemplum B. Berchmans, et Deo gratias age, quod Filii sui insignia iterum tibi concedat gestare, dicendo : O bone Jesu, indue me per hanc vestem hominem novum, quem requirit hæc sancta vocatio mea, ut digne eam valeam portare et consequar vitam æternam. Amen. Deinde offer Deo omnes diei actiones, efforma intentionem lucrandi omnes indulgentias quas lucrari poteris per diem, et tandem propone diligentem tui custodiam circa defectum illum a quo te vis corrigere ope examinis particularis.

VI. Cum cubiculo egrederis, aqua lustrali te asperge, dicendo : O bone Jesu, ne permittas me separari a te et a tua Societate. Tu vero cum prole pia, benedic me, Virgo Maria.

VII. His peractis, sequuntur preces matutinæ in sacello coram SS. Sacramento persolvendæ. Post brevem Sanctissimi adorationem, elice actus fidei, spei et caritatis, certasque tibi preces statue semper dicen-

das, ad SS. Trinitatem, SS. Cor Jesu, ad B. V. Mariam, ad Angelum custodem, Patronos, etc.

VIII. Singulis hebdomadæ diebus, habeas pro tua pietate sanctos advocatos sive patronos, particulari quodam cultu honorandos, quos ut digne reverearis, in ipsorum honorem omnia tua opera offeras. Postea meditationis instantis puncta aut breviter relegantur, aut mente pervolvantur.

II.

PRAXIS DEVOTE

AUDIENDI SACRUM.

—

Quis audivit unquam tale et quis vidit huic simile? (Isaiæ. 66. 8)

I. Cum tendis ad sacellum, imaginare tibi viva fide te in montem Calvariæ ascendere, ubi Jesu Christi sacrificium iterum renovabitur. Invoca S. Angelum custodem tuum, B. V. Mariam et alios Sanctos qui huic sacrificio interfuere, ut pari pietatis sensu et tu assistere possis.

II. Ut te ad fervorem et pietatem excites, cogita J. C. iterum in altari, tempore Sacri, pro te offerri, sicuti olim in ara crucis ; atque incruentum hoc sacri-

ficium ejusdem prorsus infiniti esse pretii, ac fuit cruentum olim in monte Calvariæ.

III. Meditans potius huic sacrificio assiste, quam rosarium aut alias preces recitans. Vestes ipsæ sacerdotis et ceremoniæ Missæ plurima de passione Christi tibi suggerent consideranda, quibus diu multumque immorari possis. Si datur occasio ministrandi sacerdoti, eam nullo modo negligas; nam, cæteris paribus, majus est ministrantis meritum, quam simpliciter assistentis. D. Thomas, jam sacerdos et doctor, post quotidianam celebrationem, aliud sacrum audiebat, cui etiam ut plurimum ministrabat.

IV. Ad Ps. *Judica me*, et maxime ad *Confiteor*, personam publicani indue, contritionem excita de peccatis et defectibus tuis, et stude magno humilitatis sensu proferre verba : *mea culpa* etc. Dein ubi fieri poterit, attente audias dum a celebrante proferuntur, tum orationes, tum lectiones.

V. Sub Offertorio, cum oblatione sancta te tuaque offeras Deo in holocaustum perpetuum, et plures efforma intentiones, prout necessitas vel devotio suggesserit.

VI. Ad Præfationem, sursum cor tuum erige, Deoque benignissimo pro omnibus quidem ejus donis, tum præsertim pro inæstimabili vocationis beneficio gratias age, et divinam illius majestatem summo reverentiæ affectu adora, dicendo cum Angelis : *Sanctus* etc.

VII. Ad Consecrationem, imaginare tibi cum viva fide te videre Jesum Christum, totum cruentum, dilaceratum vulneribus, medium inter latrones morientem, ad Patrem pro te orantem gemitibus inenarrabilibus. Ipsum subinde adora. Ostende Patri æterno Filium ejus morientem, ac pro te orantem, et implora intuitu illius mortis adeo doloris plenæ, pietatem divinam pro te et pro aliis. Hunc in finem percurrere potes pulcherrimam illam orationem : Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus, non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat, etc.

VIII. Ad Agnus Dei, præpara te ad communionem spiritualem, ideoque ardenti cum affectu elice actus fidei, spei, caritatis, humilitatis et desiderii excipiendi in animam tuam Jesum Christum Salvatorem tuum, teque cum illo conjungendi.

IX. Exinde fructum sacræ communionis cum sacerdote efflagita. Quando sacerdos populo benedicit, pete a Deo Patre benedictionem paternam, a Jesu Christo applicationem meritorum suorum tibi et universo populo christiano, a Spiritu sancto omnia charismata superna, gratiasque Deo trino et uni age, quod tibi datum fuit assistere huic tremendo sacrificio.

Hac methodo ita utere, ut attendas monito quod S. P. N. contemplanti tradit in libello exerc. add. 4

ad 1 hebdomadam. Ibi autem eum admonet, ut in puncto, in quo assecutus fuerit quæsitam devotionem, conquiescat sine anxietate progrediendi ad aliud punctum, donec sibi satisfecerit. Tu pariter ibi inhære ubi majorem fructum spiritualem inveneris, quamvis omnes actus et affectus indicatos ciere non possis.

III.

MODUS

VISITANDI SS. SACRAMENTUM.

Venite ad me omnes...
(Matt. XI. 28.)

I. Olim gentem suam laudaturus Moyses dicebat : « *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* » (Deut. IV. 7). Quid, quæso, dicere, quid cogitare debent religiosi, qui Jesum Christum Deum et hominem in habitaculis suis die ac nocte vere, realiter ac substantialiter præsentem habent? Sed quid a religiosis amor ille indefessus et constans requirit? Certe ut tanquam aulici regi suo frequenter se sistant, ut tanquam famuli suo Domino ad nutum adsint, ut tanquam piissimi filii ad Patrem amantissimum in omnibus necessitatibus con-

fugiant, denique ut illi omne genus obsequii certatim exhibeant; ita ut in hac parte omnis languor et negligentia damnanda sit.

II. Hinc viget in Societate vetus et pia consuetudo Sanctissimum sæpius per diem visitandi. Singulis visitationibus præmitte brevem conscientiæ discussionem et animi recollectionem juxta sancti Spiritus consilium : *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum* (Eccli. XVIII. 23). Dic, v. g. *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (Ps. 83. 3), vel : *Adorabo ad templum sanctum tuum* (Ps. 5. 8). Invita Angelum custodem et sanctos Patronos tuos, sed præcipue B. V. Mariam, ut te adjuvent in laudando Sanctissimo.

III. In variis visitationibus diversas assume tibi personas, et in Christo ipso varias suppone, pro animi tui dispositione. Nunc ei offeras aliquam tui victoriam tanquam regi, nunc querelam expone tanquam amico; modo pete ignosci tibi errores tuos, tanquam a patre; modo intercessionem efflagita, tanquam ab advocato. Accede ad ipsum eodem spiritu et aviditate qua pauper ad divitem liberalem, esuriens ad convivium, sitiens ad fontem, discipulus ad magistrum, reus ad asylum, æger ad medicum. A cœlesti thaumaturgo cum cæco lumen postula, cum Chananæa micas, cum paralytico sanitatem, cum leproso a lepra defectuum mundari; cum hemorrhoissa fimbriam tange, cum

dæmoniaco liberari flagita, cum spoliato et vulnerato a latronibus, alligari et curari exopta. Et manum omnipotentem medici divini senties.

IV. Aliam praxim identidem adhibere potes, qua nempe in diversis ejusdem diei visitationibus aliquod ex mysteriis vitæ Christi meditandum et imitandum tibi proponas.

1° Summo mane, imitare Christum infantem, quadragesimo a nativitatis die *sistentem se Domino;* te totum cum ipso Deo offeras.

2° In sequenti visitatione imitare Christum, *cum esset annorum duodecim, ascendentem in templum*, et ibi inter doctores inventum. Adi illum doctorem tuum, et pete profectum in studiis et maxime scientiam sanctorum.

3° Sequere illum *negotiatores e templo ejicientem;* illum ut judicem tuum intuere.

4° Audi Jesum dicentem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Adi illum ut consolatorem tuum.

5° Accede ad illum prædicantem in deserto, et *pascentem turbam ex quinque panibus.* Adi ut pastorem, et pete ut esurientem te pascat *pane vitæ et intellectus.*

6° Ascende cum illo ad festum scenopegiæ. Adi illum ut fontem vitæ, et pete ut sitientem justitiam

satiet *aqua sapientiæ salutaris salientis in vitam æternam.*

7° Occurre illi, et comitare ingredientem Jerusalem in die palmarum, et ibi *consummantem omnia quæ de ipso scripta erant*, et pete ab ipso, consummatis omnibus quæ a te postulat, felicem obitum. *Ita fere P. Petitdidier. Exerc. spir. diei XIX Consid.*

V. In singulis visitationibus breviter, sed magno cum fervore exercere potes fidem, spem, caritatem; communionem spiritualem et votorum renovationem. Verum inter omnia quæ pro te postulabis, frequenter efflagita Societatis spiritum, et tuam in gratia Dei et in Societate Jesu perseverantiam.

VI. Sacratissimo Cordi Jesu commenda omnes diei actiones et præsertim opus imminens, v. g. scholam, studium, recreationem. Ne obliviscaris sanctissimam Dei Matrem revereri et salutare. Antequam discedas, pete a Jesu Christo divinam suam benedictionem, Angelos vero et B. V. Mariam invita ut Christum laudent, dum abieris. Cor tuum relinque coram Sanctissimo; et si de die non tam sæpe visitare potes Christum Dominum ac desiderares, mente et animo illud semper præstare poteris.

IV.

DE LECTIONE SPIRITUALI.

—

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. (1. Reg. 3).

I. Sicut vita corporalis absque cibo materiali et corruptibili produci nequit et conservari, ita proxima morti est anima, quæ cibo suo, lectione scilicet spirituali, destituta est. *Non in solo pane vivit homo*, ut Christus docet (Matt. IV. 4), *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Sunt enimvero libri spirituales mystica illa mensa, quam divina sapientia proposuit in domo quam sibi ædificavit, abundans pane et vino; doctrina nempe et affectibus, quibus anima nutritur, crescit et roboratur. Lectionis spiritualis utilitatem abunde præterea demonstrat exemplum S. P. N. Ignatii, qui vitam Christi et Sanctorum legendo conversus, ad tam insignem sanctitatem pervenit.

II. Delectus librorum habendus est in tanta eorum multitudine : nec enim sufficit ut pii sint et boni, sed debent præterea tuo Instituto, genio, spiritui et capacitati esse conformes; ita ut omnia quæ leguntur, ad propriam vivendi normam dirigantur. Sequere igitur hac in re consilium Patris tui spiritualis.

III. Ante lectionem brevi oratione præpara animam tuam, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures cordis tui, quatenus possis discere quæ recta sunt, et ea opere complere. Tum eam aggredere cum vehementi desiderio Deum clarius cognoscendi, ardentius amandi, studiosius illi serviendi in omni sanctitate et justitia. Cum sæpe lectio spiritualis parum prosit, quia fit animo distracto, mentem tuam collige, antequam eam aggrediaris, et ad illam anhela, tanquam ad epistolam divinæ voluntatis interpretem, tibi exuli e patria cœlesti missam, paratus ad ejus jussa et consilia exsequenda.

IV. Eo spiritu legendi sunt libri sancti, quo sunt conscripti; spiritu nimirum caritatis, pietatis et utilitatis, non tantum ut doctior, sed etiam ut melior evadas. Ad hunc finem eos sancti viri divinitus adjuti composuerunt, ut sint tibi quasi speculum, in quo respiciens, quæ prava sunt in te videas et corrigas, quæ bona magis ac magis perficias (*C. Bona, Horol. ascet.* C. II. §. 2).

V. Non multos libros perfunctorie sed paucos legito accurate, cum debita mora, tractim et quiete, ut divinæ illustrationi et inspirationi aditus pateat. Ubi voluntas afficitur vehementius, siste et affectibus quos experiris attende. Interdum, clauso libro, quæ legisti mente revolve, ut altius animo infigantur.

VI. Si Scripturas sacras legis, recordare eas fuisse,

ipso Spiritu sancto aspirante, conscriptas, et in eis verbum vitæ æternæ contineri. Si Sanctorum vitam pervolvis, cogita tibi imitandum esse fervorem, quo ad virtutes acquirendas tam generose laborarunt, quamvis eorum actiones non semper imitari possis. Si denique librorum asceticorum lectioni das operam, veritatem quære, non eloquentiam, utilitatem, non subtilitatem sermonis. Inter cæteros omnes maximi faciendus est libellus de Imitatione Christi, quem S. P. N. tantopere commendabat, et liber P. Alphonsi Rodriguez, de christiana perfectione, præ omnibus doctrina et spiritu societatis refertus.

VII. Lectionem brevi gratiarum actione conclude, Deique auxilium implora ad id recte obeundum, quod propositum et constitutum est. « Da, Domine, quod jubes et jube quod vis. » *S. Aug.* Aliquid de lectione notatu dignum, libello ad hoc parato excipere expedit et, quoad ejus fieri potest, in memoriæ thesauro reponere. O quantum is excresceret, si quotidie aliquid ei adjiceretur !

V.

DE MODO

AUDIENDI VERBUM DEI.

—

Os prudentis quæritur in Ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. (Eccli. XXI. 20).

I. Famem desideriumque audiendi verbi Dei, S. Bernardus « inter prædestinationis et salutis signa numerat : *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (Joann. 8). » « Quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis, ita desiderium doctrinæ spiritualis manifestissimum est argumentum animæ bene habentis, » ait S. Chrysostomus (*Hom. 22. in Gen*). Hoc desiderium excitabis, si doctrina spirituali te indigere cogitaveris. Quantum autem ea indigeas, ex profectu tuo facile conjicere potes.

II. Cum pergis ad locum exhortationis, desiderium ex ea proficiendi excita. In ipso autem loco, dum genuflectitur, Spiritus sancti gratiam ferventer implora, ut mentem tuam illuminet, voluntatem emolliat ac permoveat; dicens cum Samuele : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (I. Reg. 3). *P. Dirckinck Hor. Schol.*

III. Superiorem aut Patrem spiritualem non secus ac Christum loquentem et docentem auscultes. Ipse enim est qui per administros suos loquitur, ipse qui per os eorum verba vitæ audientium cordibus inserit. Itaque audi diligenter, auditaque non aliis sed tibi applica : non subtilitatem conceptuum, non sublimitatem rerum, sed veritatem ; non verborum elegantiam, sed spiritum require, summe persuasum habens, Deum per os concionantis loqui. Audi humiliter non ut censor, sed ut rudis discipulus ; audi attente, ut quæ audieris, memoria retineas ; audi fideliter, ut tanquam bona terra, ex semine tibi commisso fructum proferas ; et sic ex abundantia doctrinæ ditissimum virtutum cumulum reportabis.

IV. A concione, gratias Deo pro instructione age ; ad exemplum B. V. verba hæc in corde tuo conserva ; pro viribus exsequi statue, et ut generose exsequaris gratiam pete ; certissimus, de omni exhortatione ejusque fructu judici supremo reddendam aliquando rationem. *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (Luc. II).

VI.

DE OPERIBUS MANUALIBUS.

Bonorum laborum gloriosus est fructus. (Sap. 3. 15).

I. Labores corporis prompte suscipiendi sunt, quia in eis frequens occasio occurrit multas virtutes exercendi : 1° Humilitatem : hinc S. Bernardus inter quatuor humilitatis media ponit vilitatem operis. Et S. Bonaventura in spec. P. 2. Cap. 6. « Quoniam, » inquit, ad humilitatem humiliatio via est, non » erubescant religiosi humilia, nec humilitatis officia » respuant. » 2° Obedientiam. 3° Caritatem in Deum et proximum. Præterea opera manualia multorum meritorum sunt fontes. S. Fundator noster de quodam Fratre nostro, Antonio nomine, dixit : « Quoties » ponebat lateres in muro, quoties eos tundebat suo » malleo, quoties calcem apponebat, toties sibi para- » bat coronam in cœlo. » P. Balthasar Alvarez aiebat (*Vitæ. C.* 7) : « Proximorum necessitates reputandas » tanquam ditissimas aurifodinas, ex quibus animæ » propriæ ditescant. » S. Arsenius rogatus in quo maxime confideret, respondit : « in eo, quod homines » fugi, quod tacui, quod flevi, at in eo potissimum » quod manibus laboravi. » (*P. Dirckinck Hor. Schol.*)

II. Statim ac obedientia te ad opera manualia vocaverit, stude sanctam sinceramque elicere intentionem, dicendo, v. g. : quoties pedem et manum movebo; toties te, Deus meus, laudare desidero et amare. Potest etiam laudabiliter et magno cum fructu exercitium intendi variarum virtutum, v. g. caritatis, humilitatis, obedientiæ, imitationis Christi, etc. Possunt et offerri pro conversione animarum, pro fidelibus defunctis, etc.

III. Sub ipso opere stude suaviter et diligenter laborare, evitando tum puerilem levitatem, tum præcipitantiam, capitis contentionem, ardorem nimium, et quidquid in detrimentum corporis aut spiritus cederet.

IV. Ut opera tua ad augmentum devotionis tendant, considera qua ratione Jesus Christus tale opus obierit vel obivisset; qua ratione et tu illud obires, si scires ultimum esse vitæ tuæ, et, completo illo opere, illico te judicatum iri. Quandoque imaginare tibi adesse Jesum Christum spectatorem et remuneratorem tui operis. Hisce cogitationibus occupatus, pium aliquem affectum hinc inde pro natura operis elicere ne omittas.

VII.

PRAXIS UTRIUSQUE

EXAMINIS.

—

Anima mea in manibus meis semper.
(Ps. 118. ℣. 108).

Signo campanæ, ad conscientiam tuam discutiendam arcessitus, cogita te ab Angelo tuo custode ad tribunal divinæ Majestatis et clementiæ vocari, ut de actibus tuis Domino tuo rationem reddas. Proinde vehemens desiderium excita illud recte et cum fructu faciendi. Quis enim scit an non ultimum vitæ tuæ futurum sit?

Stans paulisper, animo sursum elevato, cogita Dominum Jesum, judicem tuum, tibi præsentem adesse, eique reverentiam cum humili gestu exhibe. Deinde ad singula puncta vulnus unum Christi crucifixi osculare.

Punctum I. *Gratias Deo age* — pro collatis tibi beneficiis : *Naturæ* — creationis, conservationis, providentiæ;

Gratiæ — redemptionis, justificationis, sacramentorum, miræ patientiæ et misericordiæ, vocationis ad fidem, ad Societatem et Sacerdotium, gratiarum particularium hujus diei;

Gloriæ — in altera vita tribuendis.

Utere, si libet, hac formula : Adoro, laudo, et benedico te, Deus meus, et gratias ago immortales pro omnibus beneficiis, in primis sacrosanctæ humanitati Christi, amantissimæ Matri ejus, reliquis Sanctis et mortalibus omnibus tam profuse collatis. Dein pro beneficiis mihi singulariter in corpore et anima præstitis, pro beneficio creationis, sanctificationis, vocationis ad Societatem, aliisque innumeris. Benedicta sit in æternum omnipotentia, providentia et caritas tua infinita, quæ omnibus diebus vitæ meæ, ac præsertim hodie, erga me, tam benignam, liberalemque se exhibuit. In gratiarum actionem offero tibi laudes militantis et triumphantis Ecclesiæ, merita Jesu Filii tui, Salvatoris mei, et sanguinem ejus infinite pretiosum, quem in cruce e vulnere manus dexteræ effudit.

Punctum II. *Pete a Deo lumen* — ut tua peccata, defectus, imperfectiones, cognoscas. Pete gratiam, ut de ipsis doleas, eaque exstirpes, his ferme verbis :

Obsecro te, Deus cordis mei, per sacratissimum sanguinem Filii tui, qui ex vulnere sinistræ manus ejus pro nobis manavit, ut gratiam mihi copiosam dare digneris, agnoscendi, detestandi, deflendi et corrigendi peccata mea ; ut in die judicii non ad sinistram, sed ad dexteram Judicis per sanctos Angelos tuos collocari merear. O lux vera ! quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, mentem meam illumina.

Punctum III. *Discute mentem* — O Domine : quam longe aberravi a perfectionis semita, etsi illam cruentis vestigiis mihi Christus designavit! quoties hodie rursus prolapsus sum!

Examen particulare. — Exige ab anima tua rationem, per horas singulas vestigando de peccato seu defectu particulari a quo emendari cupis. — Expende an statim a somno proposueris diligentem tui custodiam circa istud peccatum aut defectum. — Utrum quoties deliquisti, manu pectori admota, dolueris de lapsu. — Defectus semper adnota, et si nullum invenis, annota bonum hunc successum ; deinde confer examina matutina et vespertina diei istius et diei præcedentis, hebdomadæ istius et hebdomadæ præcedentis.

Examen generale. — Exige ab anima tua rationem de admissis præsenti die peccatis, *cogitatione*, *verbo et opere*, per singulas horas.

Mane. — Surgere, — operum oblatio — meditatio cum ipsius additionibus et reflexione — Sacrum — jentaculum — divinum officium, ministerium — studium, — schola, — visitatio SS.

Vespere. Prandium — recreatio — ministerium — studium — schola — officium diurnum — rosarium — lectio spiritualis — visitatio SS. — Angelus — cœna — recreatio — litaniæ — puncta.

Punctum IV. *Posce veniam de delictis.* — Motiva doloris : summa Dei bonitas, amabilitas et majestas ;

acerbissima passio, quam Christus pro peccatis tuis oppetere non dubitavit; contristatio Spiritus sancti; ingratitudo tua erga Deum; perfectio divini exemplaris, a quo tantopere differs. Pœnæ purgatorii; gloriæ gradus in æternum amissi. Periculum ne in majora labaris, ne nunquam ad perfectionem pervenias, cum tui et plurium animarum detrimento.

Affectus. — Amor, dolor, confusio, odium, fiducia. — *Pete a Deo veniam*, per sacratissimum Cor D. N. J. C., per intercessionem cordis immac. B. M. V., sanctorum Angelorum, Patronorum, S. Ignatii et Sociorum, Sancti cujus hac die festum celebratur.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut ad pedes Salvatoris cum Magdalena, ingratitudinem, negligentiam et peccata mea defleam? Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Doleo medullitus, quod offenderim te, mi Deus, qui es summum bonum meum. Cruciat me valde, quod ad iram provocaverim te, qui es Creator meus, Redemptor meus, primum principium meum et ultimus finis! Vehementer affligit me, quod res nullius momenti, ob quas te offendi, plus amaverim, quam te; ideoque rei vilissimæ postposuerim te, maximum et æternum bonum meum! Diligo enim nunc te super omnia creata, et mallem rerum omnium conditarum jacturam fecisse, quam te vel semel offendisse. Detestor universa delicta mea super omnia alia mundi mala, quia tibi displicent, et tu summe eadem detestaris. Oh

si dolerem millies amplius, sic te a me læsam, o infinita Bonitas! Amplector supplex pedes Filii tui, et per vulnus pedis dexteri rogo te, ut mihi dicere digneris, quod olim Magdalenæ dixit Filius tuus : *Remittuntur tibi peccata tua*. Ea spe fretus in apertas Jesu mei plagas, in abyssum miserationis tuæ, me totum projicio, ac per merita passionis ejus, a Bonitate tua veniam spero. Respice in me, et miserere mei.

Punctum V. *Propone* — cum Dei gratia emendationem; expende peccatorum et defectuum radices, occasiones in vita parum ordinata, remedia adhibenda. Propone diligentius te cohibere : invoca propositi testes et adjutores D. N. J. C., B. M. V., SS. Angelos et Patronos, S. Ignatium et alios de Societate cum ipso in cœlis coronatos.

O amantissime Jesu! Ex hac hora satisfaciam æquissimo desiderio cordis tui, pro salute mea in cruce transfixi, et corrigam quidquid mali et negligentiæ admisi. Nunquam, nunquam te offendam amplius, nec in minimis quidem, sciens volensque, o Bonitas summe amanda! Confirma hoc propositum meum, per merita sanguinis tui, ex intimo cordis sinu pro me effusi : quæ tibi cum vita, passione et morte tua in satisfactionem offero. Unio cor meum cum vulnerato corde tuo, mi Jesu. Cor tuum sit mihi caverna maceriæ, in qua secure habitet anima mea, foramen petræ me sustentantis. Ad peccatorum emendationem, ad com-

pensationem eorumdem, omnemque vitæ perfectionem cum gratia tua, paratum cor meum Deus, paratum cor meum! Deus propitius esto mihi peccatori.

Concluditur oratione Dominica.

Quæres quid agendum, si quid temporis in Examine supersit?

Resp. Si nihil peculiare, illo die expiandum aut corrigendum occurrat: 1. Occupa te in gratiarum actione pro beneficiis, etiam personalibus. 2. Elice magnos actus contritionis, de peccatis anteactis, non secus ac si in præsenti magnis peccatis fores obnoxius. 3. Dispice, num aliquam eo die graviorem commotionem a passione aliqua aut tentatione passus sis: nam passiones refrænandæ ne valde mentem perturbent: imo etiam illæ, quæ non valde perturbent. 4. Examina successum meditationis, si id mane præstare nequiveris. 5. Renova propositum abstinendi a peccato, a quo in proxima exomologesi cavendum statuisti. Talia proposita incredibiliter ad animæ puritatem conferunt. 6. Vide, num quæ omiseris bona, vel obligationis, vel supererogationis. 7. Inquire, num quid ex consuetudine boni egeris, omissa actuali oblatione, præsertim actiones indifferentes. 8. Considera, utrum commiseris rem aliquam materialiter malam, et talem, quæ si deliberatio adfuisset, evasisset pec-

catum, v. g. motus primi, verba cholerica, agitatio manuum inconsiderata. 9. Inquirere poteris in radicem peccatorum, deliberare de mediis; alias expende, an hoc tempore sis melior præterito, et an elegeris id quod perfectius est. *In vitiis et perturbationibus omnibusque virtutibus, nos ipsos sollicite inquirere non desinamus, ubinam simus, in medio vel in fine*, ait S. Joannes Climacus, Grad. 26.

Industriæ ad uberiorem fructum colligendum ex particulari examine.

1° Quum examen istud versetur circa peccatum aut vitium aliquod particulare a quo emendari cupit homo, vel etiam circa virtutem quam sibi acquirere studet, omnino necesse est ut habeat sinceram et generosam voluntatem illum defectum exstirpandi, aut in hac virtute ulterius progrediendi. Multum igitur cavendum est ut nobis materiam aliquam examinis eligamus non quia ex regulæ præscripto conscientia examinanda est, sed quia emendationem cupimus et sollicite quærimus.

2° Ex consilio et directione Patris spiritualis, unusquisque sibi eligat virtutis cujusdam præ aliis maxime necessariæ gradum, certum et bene determinatum, internæ vel externæ actionis.

3° Determinanda etiam sunt certa tempora, quibus illa virtus exerceatur. Possunt hæc tempora initio

esse pauciora, donec promptitudo quædam obtenta fuerit.

4° Occasiones prævidendæ sunt, simul ac difficultates; nam tela prævisa minus nocent.

5° Rationes perpendendæ sunt, quas suo tempore intellectus in promptu habeat ad voluntatem excitandam; contineri id potest oratione jaculatoria, v. g. pro caritate fraterna, dicito : Credo, Domine, quod quidquid uni ex his minimis faciam, tibi faciam, sive bonum, sive malum sit.

6° Mortificationes et alia pia opera quotidie obeunda ad assequendam illam virtutem designentur, atque per sanctos Patronos Deo hunc in finem offerantur.

7° Non parum conducet, si interdum de illa virtute aliqua meditatio instituatur, donec voluntas efficaciter in studium illius virtutis feratur.

8° Tum lectio, tum colloquium, ubi occasio se offert, de proposita virtute instituenda sunt.

9° Patronus etiam eligendus est, qui in hac virtute excelluit, et invocanda sedulo B. V. Maria.

Examinis Generalis Materia.

Ampliorem examinis generalis materiam facilitatis gratia hic subjungimus. Notandum tamen est non hæc omnia a singulis, et quotidie percurrenda esse. Varia proponuntur pro diversitate personarum et circumstantiarum usurpanda.

§. 1. Actiones matutinæ.

1° *Circa examen vespertinum diei præcedentis.* — An illud institui cum ordine, nimirum juxta quinque puncta S^{i} P^{is} N.? An serio, cum applicatione mentis, non dormitando, non ex consuetudine, cum dolore, cum firmo proposito, indagando radices defectuum?

2° *Circa visitationem SS. vespertinam.* — An ipsam institui cum pietate, fervore, amore?

3° *Circa decubitum.* — An decubui pie, orando; an modeste, tempore debito? Jamjam dormiturus an servavi additionem S^{i} P^{is} N. cogitando brevi tempore de meditatione proxima, de hora surgendi?

Si de nocte evigilavi an mentem erexi ad Deum?

4° *Circa modum surgendi.* — Mane an prima cogitatio fuit de Deo?

An surrexi prompte, pie, modeste, cogitando de meditatione suaviter, affectus eliciendo, orando etiam vocaliter?

5° *Circa visitationem matutinam SS.* — An instituta fuit visitatio SS^{i} pie, cum fervore et amore; offerendo Deo cogitationes, opera et dicta; cogitando de examine particulari? An efformavi intentionem lucrandi omnes indulgentias per diem?

An prælegi puncta meditationis?

6° *Circa meditationem.* — An facta fuit integre, accurate; quoad præludia, an facta fuerint juxta men-

tem S. Ignatii, breviter, cum applicatione mentis et petendo *id quod volo*, nimirum fructum intentum?

Quomodo factum fuit exercitium trium potentiarum : Memoriæ, intellectus, voluntatis? quomodo colloquia?

Quænam fuerint mea proposita, mei affectus, mea lumina? Mea motiva exercendi talem vel talem virtutem, perficiendi talem vel talem actionem; qualis situs corporis, — qualis custodia sensuum, — qualis applicatio mentis?

7° *Circa reflexionem.* — An eam institui juxta mentem S. Ignatii, reflectendo quoad modum præparandi meditationem, servandi additiones, instituendi præludia, exercendi tres facultates? An renovavi in ipsa reflexione mea proposita, an breviter notavi lumina, affectus?

8° *Circa sacrum audiendum vel celebrandum.* — An illud exercitium peregi cum præparatione, devotione, — cogitando de mysterio crucis, de passione Domini, de aliis rebus piis? — An gratias egi post sacrum?

9° *Circa jentaculum.* — An modeste, medice, modice, pie, nimirum cum pia quadam cogitatione, aut reflexionem instituendo?

10° *Circa opera manualia et exercitia humilitatis.* — An institui ea pie, cum humilitate, alacritate, gaudio spirituali, munditie, ordine?

§. 2. Actiones pomeridianæ.

1° *Circa examen conscientiæ* — scilicet circa modum quo factum est examen meridianum juxta methodum supra traditam.

2° *Circa prandium.* — An cum pura intentione, pie, medice, modice, modeste, cum attentione ad lectionem, cum cura silentii etc?

3° *Circa visitationem SS.* — An pie, ferventer, cum amore?

4° *Circa recreationem.* — An pie, honeste, religiose, cum urbanitate, hilaritate, gaudio, caritate, facili suavitate?

5° *Circa rosarium et officium, vel breviarium.* — An digne, attente, devote, tempore et loco opportuno?

6° *Circa lectionem spiritualem.* — An pie, cum intentione, cum reflexione imo et affectu?

7° *Circa cœnam et recreationem.* — (Uti supra ad prandium).

8° *Circa litanias.* — An pie, cum attentione, devotione, affectu?

9° *Circa præparationem ad meditationem.* — An avide, cum attentione, applicatione mentis, prævidendo fructum intentum, affectus, proposita?

§. 3. Actiones diurnæ.

1° *Quoad tempus liberum.* — An pie illud transegi, an suaviter, utiliter, sine jactura temporis?

2° *Circa studium.* — An pie, serio, constanter?

3° *Circa scholam.* — An cum præparatione, pie, cum attentione, modestia, applicatione mentis, inhærendo rebus difficilioribus? an repetitionem institui?

4° *Circa visitationes SS de die ante vel post scholas et studia.* — An pie, ferventer, cum petitione auxilii divini, Virginis Mariæ, cum gratiarum actione?

5° *Circa regulas.* — Cura silentii, modestiæ, regulæ tactus, distinctionis ordinum, latini sermonis, — cura vestium?... munditiei... ordinis diurni... intentionum superiorum (conjecturæ)... cubiculi... orationum jaculatoriarum... præsentiæ divinæ.

6° *Circa vota.* a) *Paupertas.* — An aliqua re usus fui sine licentia, an usurpavi licentias interpretativas? — An fuit spiritus paupertatis in mea agendi ratione?

b) *Castitas.* — An curavi modestiam, temperantiam; an prudenter egi cum hominibus, in lectione, etc.; an decenter mecum ipso?

c) *Obedientia.* — An fui obediens executione, voluntate, judicio; an obedivi integre, prompte, fortiter, cum humilitate, et spiritu fidei?

7° *Circa præcipuas virtutes.* — Humilitas, caritas, abnegatio, mortificatio.

8° *Circa relationes* a) *cum superioribus.* — An fuerunt cum spiritu fidei, simplicitate cordis, sinceritate oris et maxima fiducia?

b) *Cum sociis, æqualibus.* — An fui officiosus, urbanus, honestus, facilis sed fortis, charitate plenus, hilaris?

c) *Cum officialibus.* — An cum spiritu fidei, charitate, humilitate, facilitate?

d) *Cum extraneis.* — An cum utilitate, ædificatione, gravitate, urbanitate, facilitate?

e) *Cum alumnis.* — An cum gravitate, prudentia, discretione, cum zelo animarum, cum pietate?

9° *Circa examen particulare.* — An illud institui mane, meridie, vespere? — An admovi manum ad pectus; an notavi defectus, fructus; an institui comparationem?

§. IV. Actiones hebdomadariæ.

1° *De hebdomadaria vel menstrua confessione.* — An fuit sincera, humilis, exacta, cum dolore, pœnitudine, emendatione et firmo proposito circa unum præsertim defectum corrigendum hebdomada sequenti; an nihil perfunctorie aut ex consuetudine?

2° *De communione sacramentali vel spirituali.* — An avide, fructuose, cum debita præparatione, gratiarum actione et recollectione per diem?

3° *De ambulatione et villa.* — An hilariter, pie, religiose, cum caritate, urbanitate, modestia?

4° *De recollectione hebdomadaria.* — An fideliter, utiliter, serio, non perfectorie sed cum fructu?

5° *De ratione conscientiæ.* — An candida, humilis, fructuosa?

VIII.

REFECTIO CORPORIS.

Attendite ne forte graventur corda vestra.
(Luc. XXI. 34).

I. Cum signum datur, eam esse vocem existima Domini Jesu vocantis te et invitantis ad refectionem; cui respondebis: Ecce venio, Domine, gratias tibi agens quia me dignatus es ad epulas tuas invitare. Tu me cibis tuis pascis, qui ne buccellam quidem panis mereor. Da mihi, Domine, *operari non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

II. Signo dato, juxta regulam ad mensam ire ne cuncteris; cum vero ad triclinium pergis, considera fel et acetum Christi, et Sanctorum mortificationem; cogita quam indignus sis pane ob peccata tua, quam bonus Deus, quam benigne tibi filio prodigo provideat Pater cœlestis, quot pauperes meliores te et Deo gratiores, fame et siti premantur!

III. Cum intima reverentia et fervore preces benedictionis mensæ et gratiarum actionis recita, ad exemplum S. P. N. qui, etsi alias colore subfusco erat, tamen cum mensæ benediceret, aut gratias ageret, totus vultu succensus, vividissimum colorem præ se ferebat, Quoties in benedictione et gratiarum actione pronuntiatur *Gloria Patri, et Filio et Spiritui S.*, aut *Sit nomen Domini benedictum*, ab omnibus fit modica capitis inclinatio. Cura ut non respondeas, antequam ultimam benedicentis syllabam perceperis, ut jussit anno 1620 P. Mutius Vitelleschus.

IV. Priusquam mappulam explices, intentionem renova, hæc aut similia dicendo : Mi Jesu, quot micas comedo, quot guttulas bibo, toties te ex animo laudo et benedico. O si tam devote, temperanter, modeste vires corporis reficere possem, o bone Jesu, sicut tu olim in terris! Desidero id ardenter et pure, ad majus tuum beneplacitum. Tu qui nosti fragilitatem meam, adjuva me et perfice desiderium meum. Dum mappula explicatur, ad socium utrimque assidentem attende, num quid eis desit.

V. Quæ observanda sint in refectione corporis accurate præscripsit S. P. Ignatius in regulis de victu recte temperando et in Const. p. 3. (reg. 30 Summarii). Ideo temperantiam observa, modum nunquam exedendo, nec cibos lautiores unquam exoptando. Curam gere modestiæ, oculos in neminem, ne in ministros quidem, in lectorem, in hospitem, etc. intendendo.

Concionatorem tamen licet identidem aspicere. Ad decentiam pertinet præcipue cavere, ne sit totus animus intentus in id quod comeditur, neque præ appetitu in comedendo simus festini; sed nobismetipsis dominemur, tam in comedendi modo, quam in quantitate quam sumimus.

VI. Ad has regulas exacte servandas non parum conferet attendere lectioni, ut dum corpus reficitur, sua etiam animæ refectio præbeatur. Si vero lectio defuerit, considera quomodo Christus cibum sumebat cum Apostolis suis, et ipsum imitari stude; vel in memoriam revoca fel et acetum quo in cruce fuit potatus et similia.

VII. Urbanitatis legibus servandis diligenter, attende, cum simplicitate tamen et moderatione religiosa. Ne brachium, cubitumve mensæ imponas, nec pedem pedi. Nunquam de cibo aut potu conquerere; nunquam lautiora extolle; nec de his rebus loquere; hoc enim religiosum dedecet. Accipe potius in spiritu paupertatis quæ tibi afferuntur, gaudendo in animo tuo, quod interdum paupertatis effectus patiaris.

VIII. Pœnitentiæ exercendæ memor, ne discede e triclinio quin aliquem mortificationis actum quovis modo exercueris. Scias tamen, ne illusionibus obnoxius sis, hac in re sequendum tibi esse consilium tui superioris.

IX. Si tibi ex cathedra legitur aut correctio aut

pœnitentia, detecto capite, sedens in tuo loco, ausculta. Si vero in triclinii medium vocaris, genibus flexis audi quæ tibi dicuntur. Interdum et ipse tu, obtenta a Superiore facultate, medio in refectorio, genibus flexis, dices culpam de defectibus externis et regularum transgressionibus, idque tum præsertim, quum caritatem erga fratres tuos læseris, aut eis scandalo fueris, ut sic peccatum tuum non perseveret in ruinam religiosæ disciplinæ vel perfectionis.

Modus dicendi culpam.

Reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, ex parte sanctæ obedientiæ dico vobis culpam meam de omnibus negligentiis et defectibus meis in profectu spirituali et in observatione sanctarum regularum commissis, præsertim vero quod..... quare jussus sum dicere vobis culpam meam et pro pœnitentia..... In posterum vero per intercessionem B. M. V., S. P. N. Ignatii et aliorum Patronorum nostræ Societatis, seriam vobis promitto procurare emendationem.

X. Cum Martyrologium legitur, Deum in Sanctis lauda; Sanctis vero gratulare, eis te commenda, imitari illos desidera et similem coronam exspecta. Eo finito, breviter te collige, modeste surgens e mensa; quod si defectum notaveris, dole, veniam pete et propone emendationem.

XI. Studeat lector ad mensam, ut alta, clara et distincta voce legat, prævideat diligenter lectionem, ut bene et emendate proferat; in dubiis præfectum

lectorum consulat; ab eo correctus repetat, et emendate iterum proferat, præ se ferendo humilitatem et patientiam religiosam; cæterum regulas lectorum in omnibus servet.

XII. Curet unusquisque memoria tenere preces benedictionis mensæ in Breviario præscriptas. Sciat etiam antiquam benedictionis et gratiarum actionis formulam, quæ a singulis submisse et stando recitanda est in secunda et privata mensa.

Sunt autem sequentes :

ANTE REFECTIONEM :

℣. Benedicite. ℟. Deus.

℣. Nos et ea quæ sumus sumpturi, benedicat Deus trinus et Unus. ℟. Amen. Pater noster etc.

POST REFECTIONEM :

℣. Laus Deo, pax vivis, requies defunctis. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo Gratias. Pater noster etc.

℣. Deus det Ecclesiæ suæ suam pacem, nobis et benefactoribus nostris suam gratiam, et post mortem vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium. ℟. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. Pater noster etc.

IX.

RECREATIONIS TEMPUS

RELIGIOSE TRANSIGENDUM.

De fine recreationis.

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! (Ps. 132. ℣. 1).

I. Cum a mensa statim studiis aut exercitiis spiritualibus vacare ad sanitatem minime conducat, sapienter a Societate quædam animi relaxatio instituta est, ut per pium jucundumque colloquium amœna remissio animo præbeatur. Hujus finis est, ut ad labores mentis et studia nova alacritate et vigore ad gloriam Dei redeamus; ut mutuo spiritus inflammetur, et fraterna caritas conservetur; ut consuetudo colloquia spiritualia cum proximis miscendi acquiratur. Hos fructus collegit præter alios piissimus Joannes Berchmans, qui e meridiano colloquio aiebat se novos spiritus acquirere in reliquum diei spatium; vespertina autem collocutione adjuvari ad instituendam ardentius meditationem, aut communionem, diei sequentis. Quare videri sibi divinitus instinctos fuisse Patres, qui in sextis comitiis generalibus, horæ illius geminæ re-

missionem, non levibus rationum machinis oppugnatam, constanter retinendam censuissent, quando tantus ex ea fructus existere sentiatur. *P. Dirckinck.*

II. Cum P. Claudius anno 1582 rescripserit, magistris non licere, abesse ab recreatione sine expressa venia : ab ea scholasticus non se separet, nec eo tempore litteris operam det : ex hoc enim studio morbos et mortem præmaturam enasci docet experientia. Sequatur ergo uti in hoc, sic et in aliis communem Societatis consuetudinem. Quidam olim in Germania tironum Magister suadebat novitiis cogitandum sæpius : Quid si omnes id agerent? Quid si omnes a recreatione abessent? cum loquendum, tacerent; cum tacendum loquerentur; quæ inde confusio et perturbatio sequeretur? *Est tempus loquendi et est tempus tacendi*, ait Eccl. C. 3. Ita vir ille sanctus e Societate, qui interrogatus, quid acturus esset, si finita recreatione moriendum sibi foret : Respondit : « Quod nunc » ago, agerem, et ex obedientia animum pie re» laxarem. » Tantum laborandum nobis est ut pie hilariterque tempus illud transigamus. Ita autem transigetur, si hæc tria observentur, scilicet : caritas fraterna, colloquium spirituale, et urbanitas seu morum honestas, de quibus pauca dicemus.

Fraterna caritas servanda.

Ut mihi videtur, Societas Jesu nihil est aliud nisi Societas amoris atque concordiæ. (S. Fr. Xav. L. 2. Epist. 6).

I. Magna reverentia interna et externa socios tuos prosequere; sunt enimvero fratres et amici Christi Domini, eique ob virtutes suas summopere placent. « Habetur recreatio, dicit S. P. N., ut fratres agant » inter se, se noscant et ament; id enim est quod » accendit et fovet caritatem. »

II. Caveas vel maxime a familiaritate cum quocumque. Designati si fuerint socii, illos tanquam de manu Dei excipe, esto erga omnes æqualiter lætus et affabilis, nec te parum fecisse existimes, si ob tuam affabilitatem sociis tuis gratum jucundumque fuerit tempus recreationis.

III. Itaque cogita quomodo omnes prævenias obsequio et officio : quomodo caritatem in singulos verbis et operibus sine intermissione exerceas. Esto humanus, mitis, urbanus, humilis corde. Qui vult tolerari, alios toleret : qui vult diligi, alios diligat; qui vult adjuvari, alios adjuvet.

IV. Cave igitur ne alios offendas verbis pungentibus aut amaris, aut quocumque irrisionis genere, ne et teipsum ferias. Si in te aculeus emissus est, ne statim

excandescas; quin imo dissimula quæ tibi displicent : surdum et mutum tunc temporis te esse oportet, et aculeos risu et joco eludere. Esto circumspectus ne de defectibus aliorum sermonem inducas : si hujusmodi sermonem immisceri animadvertis, statim colloquium alio diverte. Nunquam sententiam propriam cum læsione caritatis propugnes.

V. Aliorum potius stude facere voluntatem quam tuam, ambulando, ludendo, etc. prout a te postulaverint, licet incommodum tibi subeundum sit; et memor moniti Apostoli, cura ut *omnibus omnia fias*.

Caritas habet duas sorores... : beneficentiam, patientiam (P. Vinc. Caraf. I. 2. vitæ. c. 9).

Colloquium spirituale.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. (I. Pet. IV. 11).

I. De his loquantur nostri oportet, quæ possunt simul relaxare animos et ad spiritualem ædificationem facere. Ita fiet ut spiritus minime refrigescat, et dum nos ea quæ pios viros decent loqui assuescamus, deinceps cum externis ea colloquia miscere noverimus quæ pietatem redoleant et audientes ædificent.

II. *Ex abundantia cordis os loquitur*. Curemus igitur in primis, ut intimo Dei amore ardeat cor nostrum, quo fiet, ut ægre feramus loqui nisi de Deo vel pro Deo.

III. Ars magna, imo peculiaris Dei gratia est cum dexteritate et prudentia, tempore opportuno, de rebus piis sermonem miscere posse; proinde qui perfectionis studiosus est, frequenter petit a Deo gratiam nobis adeo pretiosam, ad ædificationem cum nostrorum, tum præsertim sæcularium.

IV. Pro recreationum tempore pia aliquot colloquia præparemus. Erubescamus hac in re vinci a filiis hujus sæculi, qui sibi, etiam scripto, rerum doctarum et amœnarum silvam conquirunt, ut de re quavis mundana facunde disserere possint. Interdum id in medium proferre juvabit quod nobis magis arriserit in lectione super mensam, aut in lectione spirituali. Non raro ad exemplum S. Patris nostri Ignatii, ex scientiis et aliis rebus indifferentibus facile nobis erit occasionem arripere de rebus spiritualibus sermonem inducendi.

V. Attamen ne semper loquaris de quatuor novissimis. Nimis seria et gravia tunc omittenda sunt, aut si aliquid serii se offerat, hilariter, jucundeque tractandum est. Hunc in finem præ oculis habeas catalogum P. Natalis de rebus quibus nostri recreationis tempore colloqui possunt, peculiari modo commendatum in *Instruct. pro renovat. spirit. cap. IX. de recreatione quotidiana religiose transigenda.*

Urbanitas seu morum honestas.

Honore invicem prævenientes.
(Rom. XII. 10.)

I. Urbanitas sive morum humanitas Societati nostræ semper impense commendata fuit, cum tantum conferat ad homines nobis ad majorem Dei gloriam conciliandos. Atque in ea virtute antiqui patres nostri multum excelluerunt, ut historiæ etiam profanæ referunt. Juvat non parum hæc morum humanitas ad amœnam, jucundamque reddendam recreationem; quum e contra eam maxime ingratam redderet inurbanitas, immodestia et rusticus agendi modus. Itaque cave a sequentibus defectibus :

II. Nunquam corrige aliorum narrationes, sine justa causa, nec abrumpe sermones loquentium, aut illis obloquere.

III. Effeminate ne loquere, nec pompam aliquam adhibe in dicendo, quasi ederes oracula. Voce clamosa ne utaris, nec in cachinnos prorumpas, aut fœdius exspuas.

IV. Curiositatem tuam mortifica, non circumspiciendo quæ ab aliis aguntur, quæve in mensis eorum sunt, nullam interrogationem quæ curiositatem sapiat facias, præsertim superioribus.

V. Modestia in incessu et in sedendo servetur : ne pedes trahas; manus ne teneas in sacco; pedes aut brachia ne extendas; ne sedeas instar jacentis; cubito caput ne sustentes; ne strepitum edas attractione digitorum, neque ludas digitis, modo tympanizantium; portarum valvas ipse tu manu claudas; manus vel vestes luto aut pulvere sordidas ne habe; uno verbo, talis sit hominis exterioris compositio, qualem a nobis regulæ nostræ requirunt, ad communem ædificationem.

VI. In ambulando ne præcedas majores, illisque semper, quantum potes, priores concede partes. Incedendo per vias publicas et per urbem, manus quietæ teneantur, curiose aut immodeste oculi ne circumferantur, neque vox attollatur, verbo : *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, atque sit nobis hodie, quemadmodum fuit olim Patribus nostris, nota characteristica hominis Societatis Jesu.

VII. Assurge Superioribus, si venerint; et æquales modeste saluta, cum veniunt, vel discedunt. Præsente superiore, noli loqui nimium, et certe non demissa voce cum uno alterove socio.

X.

METHODUS PIE

RECITANDI LITANIAS.

Quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur. (S. Bern.)

I. Est in Societate pia et antiqua consuetudo Litanias omnium Sanctorum quotidie recitandi, confirmata a Congregatione IX generali, additis in honorem B. M. V. hymno *Ave maris stella*, et oratione *Defende* etc., simul cum oratione de S. Josepho, de Sanctis Ignatio et Francisco Xaverio et de SS. Corde, quæ Societas, pro sua singulari devotione quotidie publice attestanda, Litaniis addenda decrevit. Et hæc fere unica apud nos communis et publica oratio est.

II. Dum ad sacellum accedis litanias recitaturus, animum tuum collige, junge preces tuas precibus fratrum tuorum et totius Ecclesiæ, hancque precationem ad varios fines dirige, eam offerendo modo pro infidelium et peccatorum conversione, modo pro hæreticorum reductione, nunc pro bono missionum successu, nunc pro nostræ Provinciæ et totius Societatis incremento.

III. Provolutus in genua, aspice cœlos apertos, et cœlestem curiam in iis regnantem, ac primum SS. Trinitatem in solio excelso et elevato sedentem, circumdatam Angelorum, Sanctorumque millibus, eamque cum ipsis sub initium Litaniarum supplex adora, misericordiam ejus deprecans.

IV. Deinde humillimis cum precibus cœlum percurre, omnes et singulos beatorum choros venerare et pie invoca, eorum patrocinium exposce, et intento in eos animo, compella illos juxta modum et ordinem ab Ecclesia præscriptum.

V. Et primo quidem initio facto a B. M. V., pete ardentem Dei et virtutis amorem, et in vocatione perseverantiam. — Ab Angelis majorem Dei et spiritualium rerum cognitionem et amorem. — A Patriarchis et Prophetis fidem, firmamque spem in Deo. — Ab Apostolis zelum ferventem gloriæ Dei et salutis animarum. — A Martyribus fortitudinem ad omnes in Dei famulatu occurrentes difficultates superandas. — A Doctoribus et Pontificibus constans augmentum devotionis in oratione. — A Confessoribus et ordinum Fundatoribus constantiam in bono, et observantiam votorum, regularum, etc. — A Sanctis nostræ Societatis verum spiritum Societatis et in ea perseverantiam. — A Virginibus et Viduis mentis et corporis castitatem angelicam.

VI. Eorum suffragiis confisus, pete liberationem ab

omnibus et singulis malis communibus et propriis, et pariter largitionem omnium bonorum spiritualium, corporalium, temporalium et æternorum, pro te aliisque fidelibus, recensitis per modum obsecrationis omnibus Christi mysteriis, quæ pleraque repetuntur in versiculis et collectis sequentibus. Unde hæc perfectissima oratio Ecclesiæ merito a Societate adhibetur pro communi et publica precatione quotidiana.

XI.

RATIO PIE DECUMBENDI.

In pace in idipsum, dormiam et requiescam. (Ps. IX. 9.)

I. Absoluto conscientiæ examine, confer te in sacellum, ibique Christo Domino te commenda, fratresque tuos, parentes, cognatos, amicosque omnes. Divinam clementiam invoca pro peccatoribus, ne obdormiant in morte peccati ; et ora pro animabus in igne purgatorii detentis. Dein B. M. Virginem, Sanctum Angelum custodem et sanctos Patronos saluta et venerare. Antequam discedas, reconde te in latere aperto divini Salvatoris tui.

II. Cum experientia docuerit, multos, etiam e nostris, qui sani decubuerant, morte subita præoccupatos

fuisse, quære a te ipso, si tibi hac nocte e vivis migrandum esset, quid maxime te angeret, et de eo præsertim contritionem elice.

III. Finitis precibus vespertinis, somnum futurum Deo offer his aut similibus : Per quot momenta dormiero, mi Deus, toties te amare desidero.

IV. Dum vestem talarem exuis, modeste eam osculare, gratias agendo Deo quod eam gestare tibi concessit, et dic : O bone Jesu, qui pro me vestibus spoliari et nudus in cruce mori voluisti, respice pauperculam animam meam, omni virtutum ornatu nudam, et indue eam veste nuptiali. Dein rosarium collo tuo circumda.

V. Expedit dextero lateri incumbere, decussatis ante pectus brachiis; decumbens roga B. V. Mariam, S. Angelum custodem, tuosque Patronos ut, dum dormis, ipsi pro te Deum laudent et ament. Deinde revoca tibi in memoriam futuræ meditationis puncta et obdormisce.

VI. Si nocte expergiscis, statim elice actum amoris aut alterius virtutis, et ita conare rursus somnum capessere.

XII.

PRAXIS CONFESSIONIS

INSTITUENDÆ.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. (Hebr. IV. 16.)

I. Stude imprimis tantum Sacramentum, ut par est, maximi facere, attendendo quanti Filio Dei constiterit. De hoc Isaias (c. 53. ℣. 5) : « *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* » Quære in eo, quum multarum gratiarum fons sit Sacramentum Pœnitentiæ, præter animæ levamen, augmentum gratiæ, incrementum amicitiæ divinæ et majorem cordis puritatem.

II. Ubi dies confessionis advenerit, cogita te accessurum ad Samaritanum pium benignumque, ut vinum et oleum vulneribus tuis infundat, vel ad balneum, ut animam tuam sanguine Christi laves; ad medicum, ad patrem, ad Redemptorem, etc. Hæc aut similia cogitando ad hujus Sacramenti æstimationem et desiderium te prius excita.

III. Dei auxilium, B. M. V., et Sanctorum intercessionem implora diligenter, ut fructum omnem ex Sa-

cramento referas; quod jam mane, v. g. in Missæ sacrificio fieri potest.

IV. Ubi tempus accedendi ad confessionem appropinquaverit, quartam horæ partem in præparatione diligenter impende. Hæc præparatio eo fere modo institui potest quo fit examen conscientiæ generale, notando defectus graviores et magis deliberatos contra vota, regulas, bona proposita, officium a superioribus commissum et pietatis exercitia. Ne frigide recenseas culpas tuas, sed simul ac tibi occurrent, dole quod iterum infinitam Dei bonitatem offendisti. Recordare etiam, majorem hujus temporis partem impendendam esse non peccatis inquirendis, sed dolori excitando.

V. In eliciendo actu contritionis quam perfectissimo, propositoque firmo et sincero, attende, ut illa extendas ad omnia totius vitæ tuæ peccata, quamvis magis in particulari præsentes defectus inquirere et de iis dolere debeas; et ut hæc sint magis fervida, rationem unam alteramve illis excitandis magis aptam elige et perpende.

VI. His rite peractis, indue sensa filii prodigi, qui a Christo ipso in exemplum pœnitentibus proponitur, et dic cum eo : « *Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater peccavi..... jam non sum dignus vocari filius tuus;* » aut cogita te cum Maria Magdalena ire ad pedes Christi, ejusque amorem et humilitatem imitare. Hisce cogitationibus immersus ad

confessionem accede, cavens tibi in accessu ab omni distractione.

VII. Confessio tua sit humilis, fidelis, animosa, prudens et sincera. Idcirco considera cum viva fide cui confitearis, nempe Christo in persona confessarii; quid confitearis, scilicet peccata tua peste atrociora; quis confiteatur, nempe peccator fœdissimus.

VIII. Ex peccatis anteactæ vitæ unum alterumve gravius semper adde in confessione, non quasi alias sufficiens absolutionis materia deesset, sed ut magis te confundas, et ut simul de necessario dolore cautum sit, qui pro quotidianis defectibus non semper adest sufficiens, et tamen ad validam absolutionem adsit oportet.

IX. Peracta confessione, ausculta, ut Magdalena ad pedes Jesu pœnitens, quid confessarius nomine Christi tibi suggerat, ejusque verba omnia ut a Christo ipso prolata suscipe, cum vero profectus spiritualis desiderio.

X. Cum sacerdos te absolvit magnam exhibe reverentiam, et imaginare tibi animam tuam illo momento sanguine Christi lavari et mundari. Tunc dicito cum Propheta : « *Amplius lava me ab iniquitate mea, etc.* »

XI. Deinde gratias Deo agens recede, si fieri potest, in sacellum; et ibi renova dolorem et propositum; pete auxilium Dei et Sanctorum pro emendatione.

pœnitentiam imple, et nihil eorum, quæ tibi dixit Sacerdos, obliviscere.

XII. V. P. Lancicius suis novitiis suadebat, ut in hebdomadaria confessione unum aliquem defectum aut peccatum, quod tum erant confessi, tota proxime sequenti hebdomada omittere statuerent cum Dei gratia. Idem post confessionem semestrem fiat, atque illud peccatum seligatur, quod gravius est contra vota aut regulas, aut quod in majora pericula conjicere potest. Quo purior es, eo gratior Deo.

XIII. Modus autem confitendi erit sequens : 1° Benedicite, Rev. Pater ; 2° post ultimam confessionem absolvi pœnitentiam ; 3° accuso me de peccatis quibus iterum offendi infinitam Dei Majestatem et Bonitatem, præcipue vero quod..... 4° accuso me etiam de peccatis præteritæ vitæ præsertim quod..... 5° de his et omnibus peccatis totius vitæ meæ doleo ex toto corde, seriam promitto emendationem, et precor humiliter pœnitentiam et absolutionem.

Ecce sanus factus es; jam noli peccare (Joan. V. 14).

XIII.

PRAXIS

PIE COMMUNICANDI.

—

Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. (Joan. VI. 51 et 52.)

I. S. Franciscus Borgias et S. Aloysius triduum præparationis ad communionem præmittere solebant. Tu diem saltem impende cum omni diligentia. Etenim ad grande opus te accingis; non homini sed Deo paras habitationem.

II. Quapropter pridie omnes cogitationes, omniaque opera tua eo dirige ut gratiam digne communicandi obtineas, peculiari modo sensibus tuis invigila, identidem desiderium communicandi excita, dicendo : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (Ps. 83. 1). *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te, Deus* (Ps. 41. 1). Denique actum aliquem mortificationis aut alius virtutis exerce ; Dominus enim dixit : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

III. Ad exemplum S. Aloysii quære in recreatione occasionem de Christi amore in hoc mysterio, aut de alia pia materia loquendi. Præterea præparationem ad meditationem sequentis diei sic ordina, ut aliqua ratione ad S. Communionem dirigatur, et ante somnum elice desiderium uniendi te sacramentaliter cum Christo, rogans S. Angelum custodem tuum, SS. Patronos, et B. V. Mariam, ut hac nocte Deum pro te laudent, teque suis precibus dignum Dei efficiant habitaculum.

IV. Excitatus mane a somno, imaginare tibi ab Angelo custode dici : *Ecce Dominus prope est; hodie scietis quia Dominus veniet :* vel a Christo ipso, ut Zachæus, illa verba audire : *Surge, festinans descende; apud te enim hodie oportet me manere.* Meditationem ita institue, ut anima magis accendatur amore Christi; dein usque ad Sacrum ruminare identidem, quis ille sit qui veniet, ad quem, ad quid, quomodo.

V. Accedens ad sacellum, cum Christo et Apostolis te in cœnaculum ire crede, ibique eamdem cœnam institui quæ olim Hierosolymis. Ideo statim excita affectum reverentiæ, spei, caritatis et humilitatis. Sed ferventissimo desiderio Christum recipiendi potissimum intende; etenim desiderium istud, præcipuum sibi vindicat locum inter alios pios affectus. Deinde invoca tres SS. Trinitatis personas : Patrem æternum, ut suum tibi concedat Filium; Filium, ut ad te

venire dignetur; Spiritum sanctum, ut te gratia sua ad tantum opus disponat; denique B. Virginem Mariam, Angelum tuum custodem, SS. Patronos tuos exora ut in ista actione precibus suis te adjuvent.

VI. Cum tempus aderit communicandi, dic *confiteor*... Cum sensu maximi doloris, confusionis et humilitatis, et maxima cum reverentia ad *Domine, non sum dignus*.... tunde pectus tuum. Cum sacram hostiam accipis, eam sic accipe ac si a B. V. Maria infantulus Jesus tibi daretur, et dic : Ingredere, mi Jesu, cor meum sicut ingressus es in uterum B. V. Mariæ matris tuæ, ut totus tibi devinctus nunquam divellar a te.

VII. In regressu ad locum tuum, in affectum admirationis erumpe, v. g. *Unde mihi hoc ut* Dominus meus *veniat ad me?* Dein elice actus fidei, adorationis, amoris, gratiarum actionis, ad quam invitabis B. Mariam Virginem, et alios Sanctos. Subinde aliquid emendica a Jesu pro te et pro aliis, præsertim perseverantiam in Dei gratia et in Societate, verum Societatis spiritum, profectum in virtutibus solidis Denique scias tempus hoc maximi faciendum esse, atque a recto illius usu profectum tuum spiritualem maxima ex parte pendere.

VIII. Totius diei reliquum tempus singulari pietate et recollectione animi age, sanctis interdum suspiriis Christum invoca, colloquia spiritualia diligentius institue, nec ob ariditates aut tentationes tuæ commu-

nioni time, imo fides tua non parum inde augebitur si, tentationibus istis resistens, nihilominus monita hæc servaveris.

IX. S. Magdalena de Pazzis asserebat unam communionem probe peractam ad animam perficiendam sufficere. Quare igitur multi ex sacra Communione adeo frequenti tam parum proficiunt? Hujus rei causa minime in vitæ nostræ occupationibus quærenda est; quod facile probatur ex vita Sanctorum nostrorum Ignatii, Xaverii, et multorum aliorum in salutem et auxilium animarum perpetuo fere incumbentium. Sed hæ sunt istius mali radices : 1° Exiguum Eucharistiæ desiderium : « Panis iste interioris hominis requirit esuriem » ait S. Augustinus. 2° Affectus ad res terrenas : « aliud manducas, aliud esuris, » ait Cardinalis Bona. 3° Peccata venialia ex supina negligentia commissa. 4° Tepor in ipsa præparatione, sumptione Eucharistiæ, et gratiarum actione admissus, etc. (*P. Dirckinck. Hor. Schol*).

XIV.

PRAXIS

INSTITUENDI RECOLLECTIONEM

HEBDOMADARIAM ET MENSTRUAM (1).

Redde rationem villicationis tuæ.
(Luc. XVI. 2.)

Prænotanda.

I. Recollectio hebdomadaria brevior est, et instituti potest vel die Sabbatino, vel Dominico : in eaque discutitur profectus examinis particularis, præsens hebdomas cum præterita confertur. Deinde examinatur, qui te gesseris erga Deum in caritate et devotionis exercitiis : erga Superiores quoad caritatem et benevolentiam : erga te ipsum quoad temperantiam, humilitatem, patientiam, resignationem, et operum ordinariorum perfectionem. Denique excitatur dolor de defectibus, cum emendationis proposito et petitione gratiæ.

(1) Ex P. Dirckinck. Append. Hor. Sch. prax. 17.

II. Recollectio menstrua paulo prolixior est, et plusculum temporis requirit : ideoque institui potest ultimo aut primo die mensis, vel primo Dominico aut festivo die minus impedito : atque hæc ante eam præmittuntur : 1° Pridie vel ipso die recollectionis assumenda materia aliqua recollectioni aut necessitati spirituali accommodata : v. g. de stimulis proficiendi, de brevitate et pretio temporis, de æternitate, de beneficiis divinis, de virtutibus et vitiis, de industriis cavendi peccata. Quævis alia meditatio facile huc trahi potest. 2° Lectio aliqua aut consideratio renovationi spiritus apta, ut de modo ferventer progrediendi in via perfectionis, ejusque mediis efficacibus ac motivis. 3° Ante et post synaxin sacram ferventius institutam, desideria Christo offerenda, gratia æque et benedictio enixe petenda.

III. Ut cum fructu majore hæc recollectio fiat, per modum meditationis vel considerationis ejus finis serio expendendus, qui est : 1° Continuus progressus in triplici via perfectionis, securior migratio ex hac vita, et major gloria in altera. 2° Major proximorum ædificatio, incrementum gratiæ et gloriæ eorumdem. 3° Major inde emergens Dei gloria. Expendi quoque potest recollectionis hujus dignitas ob fines adeo excellentes : necessitas ob fragilitatem nostram semper deorsum vergentem : utilitas et suavitas ob fructus copiosos serenitatis conscientiæ, gratiæ in vita, solatii in morte, lætitiæ et gloriæ in æternitate :

denique modus adeo facilis, quo sine temporis dispendio, et tanto spiritus compendio instituitur. Simul autem opus aliquod humilitatis, pœnitentiæ ac devotionis præmittitur.

Præstanda in ipsa recollectione.

1. Expende quem mense elapso profectum facere debueris, tanto Dei amore, beneficiisque præventus; quem vero feceris? Ac 1° quomodo te gesseris erga Deum; utrum magis eum diligas, quam præterito mense? majore reverentia in ejus præsentia ambules in omni actione, in conversatione, in recreatione? 2° Num majore pietate, devotione, accuratione, et fervore obiveris sacrum, meditationem, officium, preces, aliaque exercitia? 3° Quomodo creveris in profectus desiderio, in fervore et resignatione? Si defectus fuerit, contritionem elice, meliora propone.

2. Expende qui te mense elapso gesseris cum proximo tuo, cum collegis et externis, etiam cum illis, a quibus aversionem sentis, vel offensus es; num eos sincero et dulci amore prosequaris, eumque ore, vultu, signo, et re ipsa demonstres, amice illos alloquendo, consolando, compatiendo, opera caritatis, velut ipsi Christo, exhibendo, bene de illis loquendo, defectus excusando, bona eorum laudando.

3. Expende qua ratione te habueris erga Superiores; num præstiteris iis: 1° debitum amorem et honorem; 2° promptam obedientiam absque excusa-

tione; 3° resignationem ad omnia, instar baculi in manu senis?

4. Expende quomodo curam gesseris tibi commissorum : discipulorum, sodalium, pœnitentium; exiget enim Deus rationem, qui eos pietate et litteris instruxeris, qui ad observationem præceptorum divinorum et ecclesiæ excitaveris, salutis impedimenta et peccandi occasiones removeris; et an omnia melius præsenti quam elapso mense præstiteris?

5. Expende et inspice teipsum, an melior sis : 1° Quoad minuendum peccatorum numerum, et gravitatem. Unico id intuitu videbis, si in tabella menses duodecim lineis totidem distinxeris, atque in ea lapsus examinis particularis, aliosque notabiliores, vel singulis diebus, vel saltem in fine hebdomadis annotaveris. 2° Quoad passiones refrenandas. 3° Quoad modum bene faciendi opera ordinaria. 4° Quoad fervorem in operando. 5° Quoad minorem fugam adversitatum, et sensum earum. 6° Quoad magis proficiendi desiderium. 7° Quoad observationem regularum. 8° Quoad modestiam in vultu, verbis, vestitu, conversatione. 9° Quoad curam corporis, et temperantiam in victu, vestitu, habitatione, ludo, studio, exercitio. Nec omitte dispicere, num proposita in exercitiis annuis et in recollectione præcedente concepta, executioni data sint. Denique dolorem elice, iterum propone, gratiam pete; ac dispice an materia examinis particularis mutanda, et quænam mense sequenti assumenda.

XV.

EXTERNA CONVERSATIO.

Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. (1. Cor. IV. 9.)

Quoniam sæpe per diem cum nostris aut cum externis nobis agendum est, præter ea quæ dicta sunt in *industriis ad recreationis tempus religiose transigendum*, hæc adjiciuntur, ut accuratius tradatur modus quo conversationem nostram omnibus, et nobis imprimis admodum proficuam reddere possimus.

Prima vero ejus conditio est *modestia*, quæ decorum servat in motibus, gestibus, et exteriori compositione. Ad hanc magnopere conducit timor quidam et laudabilis pudor, qui te in officio contineat, et semper revocet ab omni impudentia, procacitate, effusione et libertate. Ejus actus in regulis modestiæ describuntur. Eas si perfecte observaveris, solo tuo aspectu eos qui te videbunt ad pietatem allicies. Si cum personis alterius sexus tibi agendum est, loquere solummodo de rebus necessariis, in loco patenti, præsente socio. Oculos modeste demissos habeas, vultus severitatem potius quam alium animi affectum præ se

ferat. Cum discipulis benigno vultu age, sed cave ne eos manu apprehendas, vel alio modo attingas.

Secunda conditio est *suavitas*, sive *benignitas*. Nihil enim amœnius illabitur humanis sensibus, animosque conciliat, quam comitas et affabilitas sermonis, honestas verborum, et morum facilitas. Quidquid honoris et reverentiæ sibi invicem exhibent sæculares in externa vitæ consuetudine, id tibi etiam est usurpandum, sed longe dispari ratione. Nam non raro apud illos nihil aliud hæc sunt, quam verborum lenocinia, et formulæ quædam urbanitatis, et politici obsequii; apud te actus erunt virtutis et caritatis. Quam sancta et innocenti observantia sancti Patres Antonius Magnus et Paulus primus Eremita ad invicem contendebant in partitione panis, cum alter alterum honore prævenire et neuter cedere vellet! Fomentum fraternæ caritatis est, conscientiæ bonæ ac animi ingenui testimonium, deferre aliis honorem et mutuis officiis cum illis decertare. Superiores itaque tanquam Christum alloquere, æquales sicut fratres carissimos, inferiores ut filios. Sit conversatio tua suavis, hilaris, seria, pura, tranquilla, serena, quæ nec aulicismum redoleat, nec rusticitatem. Sit gravis sine severitate, sit læta sine dissolutione, humilis sine abjectione, sit plena candoris et gratiarum, expers insolentiæ et levitatis. Hac autem lege prohiberis proferre nugas, jocos, assentationes et quidquid religiosæ gravitati detrimentum afferre potest.

Tertia est *prudentia*, quæ lucebit in conversatione tua, si apta et accommodata fuerit iis cum quibus versaris : aliter enim cum potentibus, aliter cum humilibus agendum est; aliter cum viris, aliter cum mulieribus; aliter cum doctis, aliter cum ignaris; si conveniet ætati, statui, conditioni et capacitati tuæ : nam quædam juvenem decent quæ seni dedecori forent; quædam sæcularibus licent, quæ religiosis infamiæ notam inurerent Disceptatio si necessaria fuerit, sine ira sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Cave ne unquam in deteriorem partem loquaris de proximo; quin etiam omnium dicta et facta in meliorem partem interpretare ; quantum licet aliorum infirmitati condescende. Defectus proximi, quantum fieri potest, excusa; merita et virtutes ex animo lauda. Nunquam inquire rationem cur hic promoveatur, alius non; quare hoc potius quam illud jubeant Superiores etc., quia id murmurantibus proprium est. (*C. Bona Horol. ascet*).

Quarta demum est *utilitas. Vena vitæ os justi*, ait Sapiens. Et vir quidam eximius dicebat, tales esse oportere religiosos, ut ab illis abirent homines percutientes pectora sua, et dicentes, *vere filii Dei sunt isti*. Veteres sane philosophi profitebantur suo se consortio homines facere meliores. Ita et tu, si vere religiosus es, optimi servi Dei partibus fungere. Trahe ad Dominum quoscumque potes, sit omnis narratio tua in præceptis Altissimi, nec permittas quempiam a te

discedere sine aliquo spirituali emolumento. Patiens esto ad omnes; et si quis te spernat, si quis contradicat, si quis verba proferat acerbe inepta, puerilia, si asperis moribus sit præditus, et ingenio refractario, cave ne eum contristes; sed te suaviter omnibus accommoda, ut omnes lucreris. Animum non prorsus effundas, sed collige interdum, et piis affectibus ad Deum eleva, quem semper præsentem mentis oculo intueri debes (*Idem ibid*).

Cum S. P. N. dicat Const. part. 1. c. 2, exoptandam esse in nostris sermonis gratiam, ad agendum cum proximis pernecessariam, cumque ad id non mediocriter conferat exercitium, conentur juniores semper loqui pure et emendate; et quando eis latine loquendum est, multo magis sibi attendant, ut usum linguæ nobis adeo necessariæ quam perfectissime acquirant.

XVI.

PRAXIS

ORATIONUM JACULATORIARUM.

—

Lingua mea meditabitur.... tota die laudem tuam. (Ps. 34. ℣. 32.)

I. « Quia crebris negotiorum tumultibus sanctæ » contemplationis tranquillitas in Societate frequen- » tissime interturbatur, illud in nostris desiderabat » Beatus Pater Ignatius, ut in omni loco constituti et » quibuslibet implicati negotiorum vinculis, per aspi- » rationes frequentatas mente ad Deum evolarent, » eumque locorum ubicumque præsentem invenirent, » et hoc peroptimum orandi genus existimarent, cum » sua omnia ad Dei cultum et gloriam ampliorem re- » vocarent. » (P. Cl. Aquaviva Ep. de Orat. et pœnit. §. 6). Ipse S. Pater in hac arte valde excelluit, teste Ribadeneira, in ejus vitæ lib. 5. c. 1. « E plantulæ, frondis, floris, fructus aut vermiculi aspectu super

cœlos mox se attollebat, atque in minimis Deum maximum agnoscebat. » Et huc recidit, ut obiter dicatur, annot. 6. ad 4. hebd. in qua B. Pater admonet eum qui exercitia suscipit, ut claritate lucis et commoditatibus tempestatis utatur, puta veris et æstatis tempore, refrigerio auræ, herbarum, florum etc., in quantum existimat sibi posse esse adjumento ad gaudendum in Creatore et Redemptore suo.

II. S. Patrem facili negotio imitaberis, si alte animo impressa habeas principia quæ in contemplatione ad amorem spiritualem ipse nobis meditanda proponit, nimirum Deum habitare in creaturis; in elementis dantem esse, in plantis dantem vegetare, etc. In eis operari et laborare propter nos, et tandem omnia bona et dona descendere desursum, sicut a sole descendunt radii, a fonte aquæ, etc. Tota mundi moles, ait S. Basilius, quasi liber est litteris exaratus, deprædicans gloriam Dei.

III. Harum aspirationum exempla obvia si quæsieris, audi S. Basilium dicentem : » Panem edens, largitori gratiam rependito ; vinum bibens, memento largitoris, qui ad cordis lætitiam et infirmorum solamen hoc impertivit. » Vel B. Petrum Fabrum : « Si in itinere transeas per urbem vel pagum, roga Deum per merita eorum qui ibidem ei placent, ut misereatur tui, gratias age pro beneficiis quæ Deus omnibus ibidem habitantibus præstitit » etc. Vel tandem Ven. P. Lancicium : « Vides aliquos colloquentes, propone

servare silentium; audis strepitum et negotiationes sæcularium, gratias age Deo quod te a vita sæculari liberavit, » etc. Sæpius etiam per diem orationem jaculatoriam itera, quam tibi elegeris meditationis materiæ, tuisque propositis conformem; ita tibi meditationem in memoriam revocabis et propositorum facile reminisceris.

Oportet semper orare (Luc. XVIII, 1).

PARS TERTIA.

ADJUMENTA

ET IMPEDIMENTA SPIRITUS AC MONITA

PRO FINE TIROCINII.

Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem (Prov. IV. 18.

ADJUMENTA

ET IMPEDIMENTA SPIRITUS AC MONITA

PRO FINE TIROCINII.

I.

DEVOTIONES

QUÆ NOSTRIS PECULIARI MODO COMMENDANTUR.

—

I. Operæ pretium erit his documentis quædam adnectere de variis pietatis exercitiis tum erga SS. Cor Jesu, tum erga Virginem Beatissimam ejus genitricem, tum erga Angelum Custodem et aliquos alios cœlestis patriæ cives. At in animo non est hoc in loco omnes exponere *devotiones*, quibus viri religiosi animum intendere possunt, sed eas solummodo commendare, quæ in Societate nostra semper fuerunt antiquissimæ.

II. Modum autem has devotiones in praxim dedu-

endi duobus verbis concludit P. Neumayr (Idea *Theol. ascet. c. III. art. III.* §. 1). « Breviter et suaviter, ait, devotiones exerce. »

« ***Breviter,*** nam longæ si sint, aut cito omittes, aut misere exequeris. Constantia in exercitiis pietatis maximam laudem habet, maxime si bona intentio animat, qua non velis securitatem in acedia, sed gratiam surgendi a malo et crescendi in bono. »

« ***Suaviter*** et cum gustu, cum pia affectione, libere tamen, ita ut scrupulum non tibi moveas, si vel mutes cum occurrit devotio melior, vel omittas cum justa est causa. »

II.

DE CULTU

SS. CORDIS JESU.

Spondeo omnes eos, qui honore Cor meum afficient... cœlestium donorum copia fore cumulandos.
(Verba Christi ad B. Marg. Mariam.)

I. « Si quæramus, ait R. P. Roothaan, in litteris anno 1848 ad Soc. datis, cur nobis singulari quodam modo proprius ac præcipuus esse debeat SS. Cordis Jesu cultus, rationes plures sese offerunt. »

« Harum prima sine dubio et omnibus potior, quæque vel sola profecto sufficeret, ea est, quod ipse Dominus, eo ipso tempore, quo Cordis sui cultum introduci ac celebrari in Ecclesia præciperet, hoc ipsum velle se, ut per Societatem maxime præstaretur, non semel neque obscure edixerit. »

« Præterea vero, nonne plane conveniens erat, ut Societas, quæ nomine Jesu, ipso Jesu sic volente, insignita erat, in omnibus, quæ ad Jesu cognitionem et amorem et gloriam pertinent, partem semper sibi præcipuam assumeret? Ut quæ Jesu tota est, et cum Jesu prospera habet et adversa modo peculiari communia, ea in ejus etiam Cordis amore et cultu promovendo excelleret? »

« Mihi quidem, eo maxime nomine commendandus esse nobis cultus SS. Cordis, nostrisque hominibus præcipue convenire videtur, quod cum vitam communem degamus, externis fere semper ministeriis distenti, singulari prorsus cura nobis præ aliis Religiosis internum spiritum, internasque virtutes colere necesse est, ex quibus omnis actio nostra vim suam ac virtutem ac meritum etiam derivet; ne forte exteriori cortice bonæ vitæ, operumque zeli contenti, oleum, operamque perdamus coram Deo, qui intuetur cor, quique profecto jure suo illud a nobis requirit, ut quod ad virtutum exercitia spectat, plus intus in corde geramus, quam quod exterius hominum oculis apparet. »

II. « Quod si scopum, quem in cultu SS. Cordis sui inter fideles introducendo sibi Dominus proposuit, consideremus; magis etiam intelligemus, cur proprius ac peculiaris ille Societati nostræ esse debeat? Voluit scilicet Jesus, ut in hoc fine sæculorum, dum refriguit jam caritas multorum, appropinquante tempore defectionis, quam reipsa cernimus vix non ubique in dies magis prævalere, novo hoc remedio pii cultus SS. Cordis sui succurreretur fidelibus, ne in errorem et laqueos inducerentur etiam electi. Quid vero magis conveniebat, quam ut Societas, divino numine eo fine instituta ut velut novum esset militanti Ecclesiæ subsidium ac robur, quo hostium undique ingruentium impetum reprimeret ac retunderet, aut certe retardaret, hoc novo præsidio cultus SS. Cordis ipsa potissimum utendum sibi esse intelligeret? »

III. Quod ad praxim hujus cultus attinet, sequentia poteris præstare :

1. « Accurata meditatione ipsius SS. Cordis sensa et affectus cognoscere quotidie magis studeamus. Id vero consequemur, si facta dictaque Jesu ex Evangelio pro nostro Instituto meditantes, reflexione facta, ad Cordis ipsius affectus in his expendendos animum applicabimus. Quantum inde fructum ad nostram propriam perfectionem, quantum inde zeli ad proximorum salutem et perfectionem procurandam hauriemus; quantum in cognitione et amore, indeque in imitatione Christi Jesu proficiemus! (*R. P. Jo. Roothaan*). »

2. In omnibus necessitatibus ad amantissimum Cor Jesu confugiamus. « Ad hoc ipsum apertum est lancea latus Jesu, ut nos reciperet, verum *foramen petræ* vivæ, quæ Christus est. » (*Idem*, *ibidem*).

3. Cultum SS. Cordis omni cum diligentia promoveamus in catechesi, in scholis, in concionibus, quoad ejus fieri poterit. « Cura ut hæc devotio ubique locorum innotescat, eamque hominibus summopere commenda, tamquam non modo tutum, sed etiam suave et facillimum medium verum Dei amorem consequendi. » Christus ad B. Marg.

4. Prima feria sexta cujusque mensis meditationem instituere de *officio* quod initio mensis tradi solet in honorem SS. Cordis.

5. Aliis interdum feriis sextis de SS. Corde meditari. Hæc autem præcipue consideranda sunt : a) Cor Jesu amore nostri vulneratum. b) Dolor quem Cordi Jesu peccata nostra procreant. c) Patientia qua Cor Jesu ad pœnitentiam nos exspectat, etc.

6. Sæpius visitare Venerabile Sacramentum, et dulcissimum Cor Jesu amore nostri vulneratum salutare ac venerari.

7. Præ omnibus virtutibus mansuetudinem et humilitatem colere. « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. »

III.

DE DEVOTIONE

ERGA B. V. MARIAM.

Ignatius a Loyola hic, multa prece fletuque,
Deo se *Virginique* devovit. Hinc ad Societatem
Jesu fundandam prodiit. Anno 1522.
Inscript. aræ B. V. in Monte-Serrato.

I. Quam propria sit Societati Jesu devotio tenera, constansque fiducia erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, ab ipsa Matre Ecclesia per Summorum Pontificum oracula edocemur. Etenim Benedictus XIV in Bulla aurea *Gloriosæ Dominæ*, intra domus nostræ septa veluti ingressus, collaudat Societatis pietatem in B. V. Mariam, inde a conversione S. Fundatoris ejus; percensitisque ejusdem B. Virginis dotibus ac meritis, ita pergit:

« Hæc atque alia secum perpendens B. Ignatius Confessor, qui ad majorem Dei gloriam propagandam militantis Ecclesiæ castra novis sub Sanctissimi Nominis Jesu vexillo conscriptis legionibus auxit, quum magnum certamen sibi, suisque militibus, pro sua cujusque non minus quam pro aliorum etiam salute, propositum animo prospiceret, aptissimum sibi præsidium in B. Virginis tutela statuendum esse sapien-

tissime judicavit. Idcirco quum primum e patria domo digressus, grandia jam tum in corde suo volvens, sacræ militiæ tyrocinium ponere decrevisset, ad ipsius Virginis pedes statim se contulit, et sub illius auspiciis arduum perfectionis iter ingressus est. Quum vero deinceps, primo commilitonum delectu habito, ipsos jamjam in aciem ducere institueret, non alibi quam in æde Virginis Parisiis apud Montem Martyrum solemni Sacramento se cum illis adstrinxit, atque in hoc veluti firmissimo lapide prima Instituti sui fundamenta solidavit. »

« Quod autem ipsi usitatum fuit, ut nihil fere gravius, nisi invocato prius Mariæ nomine, aut statueret aut aggrederetur, id omnibus alumnis suis documento esse voluit, ut in obeundis professionis suæ officiis atque laboribus in ejus potissimum patrocinio divini adjutorii spem collocarent; et in adeundis pro religione periculis hanc sibi turrim fortitudinis, ex qua clypeorum millia pendent, a facie inimici perfugium et munimentum esse confiderent. Itaque ipsi per omnem terrarum et marium amplitudinem portantes adorabile nomen Jesu coram regibus et nationibus, dulcissimum simul Matris ejus nomen ubique annunciare non destiterunt; et una cum fidei lumine et morum sanctitate, Deiparæ quoque cultum et honorem in omnibus utriusque orbis regionibus mirabiliter propagarunt. »

II. Ad hanc autem erga Beatissimam Virginem Ma-

riam pietatem in Societate fovendam et promovendam semper pro virili sua parte incubuerunt, quotquot in ea supremum regimen obtinuerunt. Ita enim universam Societatem alloquitur R. P. Claudius Aquaviva in Epist. de Perfect. et charit. frat. : « Si præcipua quadam religione ac pietate erga Sanctissimam Virginem Mariam minima Societas nostra nitatur, fore confido, ut, quæ Dei beneficentia est, etiam atque etiam in dies efflorescat. Ea namque, quum Parens fuerit ejus qui omne cœlum, omnemque naturam molitus est, vere ac proprie, ut ait Damascenus, in res universas Heræ ac Reginæ nomen et jus adepta est. Itaque velim in omnibus rebus ac temporibus, sive publicis Societatis, sive propriis singulorum, præstanti quadam veneratione ac singulari fiducia, quæ nullam vereatur repulsam, ad hoc laborum omnium ac sollicitudinum perfugium supplices accurramus. »

S. Franciscus Borgia devotionem in Deiparam ut omnino necessariam habebat ad perseverandum in Societate. Etenim quum quadam die in domo probationis Romana, a tironibus quosnam sanctos sibi Patronos delegissent sciscitatus, animadvertisset aliquos B. V. Mariam inter Sanctos tutelares non recensere, magno dolore est affectus, novitiorumque Magistrum admonuit ut tironum istorum saluti prospiceret, adjiciens se non parum formidare ne a religiosa vocatione deciderent. Inanem haud fuisse sancti viri timorem probavit eventus; nam ad unum omnes Societatem reliquerunt.

Tandem paucos ante annos quando in omnibus fere Europæ regionibus a suis sedibus Societas deturbabatur, R. P. Joan. Roothaan, exul et ipse Roma, universos socios ad Cor purissimum Mariæ impensissime colendum adhortatus est, ut « quam Mater clemens et pia sub immaculati Cordis sui nomine invocata in periculo opem jam tulerat, hanc in præsenti etiam calamitate ferre dignaretur. »

III. Rationes quibus ad amandam omnique veneratione prosequendam Virginem Mariam impellimur, Benedictus XIV in bulla laudata ita exponit : « Gloriosæ Dominæ Dei Genitricis Mariæ cultum ac venerationem, Dei manifesta voluntate ac veraci semper Ecclesiæ spiritu magnopere commendari, nec minus juste quam fructuose eidem a fidelibus exhiberi, adeo manifestum esse non dubitamus, ut ad Christianorum corda religioso devotionis studio erga eam inflammanda, Apostolicæ adhortationes nostræ superfluæ propemodum fore videantur. Sicut enim omnipotens Deus hanc felicissimam Virginem, electam ex millibus, et ad ineffabilem Divinæ Maternitatis dignitatem Angelo nuntiante evectam, gratiæ suæ donis abundantius præ cæteris omnibus puris creaturis replevit, ac splendidissimis gloriæ coronis super alia omnia manuum suarum opera decoravit; sic etiam catholica Ecclesia, sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem et tanquam Domini ac Redemptoris sui Parentem. cœlique ac terræ Reginam impensissimis obsequiis

colere, et tanquam amantissimam Matrem, extrema sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est. Ad ejus opem in publicis calamitatibus et perturbationibus, quacumque infernorum hostium vi excitatæ fuerant, veluti ad tutissimum salutis portum, confugere consuevit, ejusque potissimum virtute cunctas hæreses in universo mundo exstinctas ac debellatas esse fatetur. Hæc enim est speciosissima Esther, quam adeo supremus Regum Rex adamavit, ut ad salutem populi sui non tam dimidiam regni sui partem, quam totum quodam modo imperium suum et potestatem cum ea communicasse videatur. Hæc fortis illa Judith, cui Deus Israël de omnibus inimicis terræ suæ victoriam reportare concessit. Hanc ipsa Ecclesia, concordibus Patrum sententiis a filiis suis omnibus in peculiaribus eorum necessitatibus atque periculis cum fiducia adeundam suadet, tanquam Advocatam apud suum Deique unigenitum Filium, loquentem pro nobis bona : Hanc prædicat mysticam Arcam fœderis, in qua reconciliationis nostræ impleta sunt sacramenta, quam Deus respiciens, pacti sui recordabitur et misericordiæ memor erit. Ipsa est cœlestis veluti rivus per quem gratiarum omnium atque donorum fluenta in miserorum mortalium sinum deducuntur ; ipsa est aurea cœli porta, per quam in sempiternæ Beatitudinis requiem aliquando intrare confidimus. »

IV. Itaque B. V. Mariam ut matrem ama, hasque in ejus honorem praxes exerce :

1° Lege libros qui laudes ejus continent, ejus excellentias et virtutes meditare, de illis sæpe colloquere et alios de ea loquentes libenter audi.

2° Amorem et affectum erga B. V. juxta statum tuum omnibus instilla, præsertim pueris in catechesi, discipulis in schola, etc.

3° Omnes tuas actiones singulis diebus Matri tuæ offer, rogans ut eas ante conspectum Unigeniti sui ponat, et quidquid perfectionis iis deest, sua intercessione benigne suppleat.

4° Ad eam in omni tristitia, in omni angustia, tanquam ad certam afflictorum consolatricem confuge.

5° Illius virtutes et vita sint tibi exemplo quod sedulo imiteris. In ejus honorem modo hunc, modo alium defectum emendare labora.

6° Singulis diebus recita coronam B. Virginis et alias preces in ejus honorem; cum Officio parvo de immaculata ejus Conceptione.

7° Sabbatis autem eam speciali cultu prosequere, abstine in ejus honorem ab aliqua parte cœnæ, fac mortificationem aliquam internam et externam, adjunge peculiares preces, v. g. : Litanias Lauretanas, Memorare, o piissima, etc.

8° Si Deiparæ festum occurrit, erit aliquid particulare agendum, uti *a*) in honorem illius communi-

nicare, *b*) officium aliquod humile peragere, *c*) si concio, oratio vel catechismus habenda sint, hæc facere eo alacrius et ferventius, quo libentius de Matre filius loqui solet. *d*) Si fert devotio, ante præcipua ejus festa novenam institue, cujus tempore peculiaria exercebis pietatis officia erga Dei Genitricem, memor hujus prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino. — Perire nequit qui Mariæ sedulus cultor fuit.* (S. Bern.)

9° Denique imitare Sanctos qui, cultui Mariæ maxime addicti, ob singularem in eam amorem nova identidem pietatis officia excogitabant; ita B. J. Berchmans quando aliquid per intercessionem B. V. Mariæ impetrare cupiebat, scriptam promissionem certorum operum imagini B. Virginis affigebat. — S. Philippus Nerius, sumpta præ manibus corona precatoria, singulos globulos tractu percurrebat et ad singulos affectum aliquem eliciebat, B. Virginem laudabat, etc. — S. Stanislaus Kostka Mariam variis laudibus ac titulis exornabat. — P. Franciscus Costerus nullam B. Virginis imaginem, quin salutationem angelicam recitaret, præteribat. — Alii loca Mariæ dicata pie invisebant et in altaribus ejus missæ sacrificium celebrabant; alii Sanctos de familia ejus impensius colebant, S. Josephum, S. Annam, S. Joachim, etc.

IV.

DEVOTIONES VARIÆ.

1.

De devotione erga angelum custodem.

—

Angelis suis (Deus) mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. (Ps. XC. ℣. 11).

1. Juxta S. Bernardi monitum ubique reverentiam habe Angelo tuo, ita ut illo præsente (adest autem semper) non audeas unquam peccare.

2. Observa eum, et audi diligenter vocem ejus internam ad bonum te semper impellentem et a malo avertentem.

3. In cubiculo, in schola, in studiis, in dubiis, in adversis, in omnibus denique tuis necessitatibus semper ejus opem implora.

4. Inter orandum roga ut preces tuas Deo offerat, quod petis impetret, distractiones repellat, et omnia orationis impedimenta longe a te tollat.

5. Habe et cole ejus imaginem, eique te commenda dum exis cubiculo, dum reverteris, studia aggrederis, etc.

6. Mane surgens, vespere lectum petiturus, illi gratias age et roga ut te semper incolumem ab omni peccato servet.

7. Sæpius per diem et præcipue cum tentaris, vel in aliqua peccandi occasione versaris, illius præsentiam in mentem tibi revoca.

2.

De devotione erga sanctum Josephum.

—

Ite ad Joseph. (Genes. C. XLI. ℣. 55).

I. Sicut Deus in terris degens homo factus, voluit subditus esse sancto Josepho et ejus obedire mandatis, ita etiam in cœlis existens gloriosus, nihil ei pro nobis intercedenti negabit.

II. Quare : 1. Singulis diebus mane et vespere quando salutas SS. Sacramentum, S. Josepho te tanquam pupillum commenda.

2. Singulis hebdomadis elige tibi diem aliquam, v. g. feriam quartam, qua hunc Sanctum præcipue colas, preces quasdam in ejus honorem recitando.

3. Ejus festum piissime celebra, mortificatione aliqua præmissa. Virtutes S. Josephi, nimirum unionem cum Deo, obedientiam voluntati divinæ, patientiam,

devotionem erga Jesum et Mariam, constanter imitare. Pietatem in S. Josephum promove, ubicumque poteris, præsertim apud discipulos. Sæpe animo revolve quod dicebat de se S. Teresia, nihil scilicet se umquam petivisse a S. Josepho quod non impetrarit.

3.

De devotione erga S. P. N. Ignatium.

—

1. Mane et vespere benedictionem a S. Patre tuo postula. Dum mane omnia opera tua Deo offers, id age per intercessionem S. Ignatii. Sæpissime te illi commenda præcipue in tentationibus, in adversis, in ariditatibus, in studiis.

2. Pete ut in omnibus actionibus tuis tibi obtineat sanctam illam intentionem, quam ipse semper habebat, nempe majoris gloriæ Dei procurandæ. Recita quotidie aliquid in ejus honorem v. g. litanias vel aliud. Pridie ejus festi juxta morem Societatis jejuna et aliquam fac mortificationem, ejus festum præcipua pietate cole, ut acquiras genuinum S. Ignatii spiritum.

Eodem fere modo coli possunt alii Sancti de Societate. Hic unum memineris ut, si novitius sis, S. Stanislaum patronum tuum, si autem ad studia incumbas, S. Aloisium majori veneratione et cultu prosequaris.

Attende etiam monito a S. Aloisio (Lib. 2 vitæ c. 5)

tradito : « Cum alicujus virtutis desiderio duceris, eorum te Sanctorum opem implorare oportet, quibus ejus eximia laus tribuitur. Sicut enim, qui munus aliquod militare a principe terreno obtinere cogitat, citius illud abstulerit, si summo ejus copiarum duce, illiusque tribunis, quam si aulæ Præfecto, aliisque magistratibus conciliatoribus sit usus : Ita cum fortitudinem a Deo expectamus, Martyribus; cum pœnitentiam, Confessoribus commendati esse studeamus. »

4.

De devotione erga patronum menstruum.

—

Opus religiosæ pietatis facies, si, ut nostræ Societatis mos est, menstruum patronum tuum rite colueris. Hunc in finem sequentia observa.

1. Die mensis ultimo, actis Deo impensissimis gratiis pro omnibus favoribus per Sanctum tibi collatis, eum roga ut pro mense sequenti alium tibi concedat cujus patrocinio et exemplo in via spirituali efficaciter promovearis.

2. In distributione Sanctorum menstruorum tanquam a cœlo datum Sanctum accipe, reverenter osculare, ferventerque illum ora ut te, omniaque animæ tuæ negotia, vitam et mortem tuam sibi commendata habere velit; idque, si fieri potest, coram Sanctissimo,

aut coram Sancti illius imagine flexis genibus pertracta.

3. Percurre pagellam tibi traditam. Quis fuerit Sanctus ille, quas virtutes exercuerit inquire, et si id facile non invenis, illud a sociis in recreatione postula.

4. Sententiam tanquam cœli inspirationem reverere, et quotidie per mensem eam repete memoriter aut lege.

5. Virtutem propositam stude tibi propriam facere. quotidie vel unum illius virtutis actum in Patroni tui honorem exercendo, et recita saltem semel *Pater* et *Ave*, ut eam ille tibi obtineat. Imo optimum erit, si omnia bona opera tua, vel saltem eorum partem in illius honorem quotidie obtuleris.

6. Ora ad intentionem tibi indicatam et vide dum oras pro necessitatibus aliorum, utrum non eadem premaris necessitate.

7. In tentationibus, afflictionibus et omnibus necessitatibus tuis ad Sanctum tuum confuge, ad exemplum S. Franc. Borgiæ, teque tuaque omnia ejus precibus commenda; non enim sine ratione Deus per mensem tibi hunc Sanctum dedit.

8. Diem vero Patrono tuo sacrum sanctius transige; pœnitentiæ opus, S. Communionem (si incidat) offerendo in illius honorem; saltem festo Sancti tui die litanias Sanctorum menstruorum recita, quas tibi hunc in finem concinnabis.

V.

NOVENDIALES DEVOTIONES.

—

1. Nativitatis Domini. (16 Dec.). — *Virtus.* Jesu mores induere. — *Praxis.* Litaniæ SS. Nominis Jesu, aut 5 Pater et Ave, Alma Redemptoris.

2. SS. Ignatii et Xaverii. (4 Mart.). — *Virtus.* Liberalitas in Dei servitio. — *Praxis.* 10 Pater et Ave, Gloria Patri, Iste confessor, cum orat.

3. S. Joseph. (11 Mart., vel 2 Dom. post Pascha). — *Virtus.* Simplicitas, spiritus orationis, tener amor erga Jesum. — *Praxis.* Litan. SS. Nominis Jesu, vel 7 Pater et Ave, Hymnus cum orat. ad S. Joseph.

4. S. Spiritus. (Cum communitate).

5. SS. Cordis Jesu. (die Corp. Christi). — *Virtus.* Cor secundum cor Jesu, plenum zelo gloriæ Dei et salutis animarum. — *Praxis.* Litan. SS. Cord. cum oblatione : Sume Domine, et suscipe.

6. S. Aloisii. (12 Jun.). — *Virtus.* Fervor caritatis in Deum. — *Praxis.* 6 Pat. Ave, Glor. Patri cum consecrat. ad S. Aloisium, Iste confessor, cum orat.

7. S. Ignatii. (22 Julii). — *Virtus.* Fervor et generositas in Dei servitio, amor vocationis. — *Praxis.* 10 Pat. Ave, Glor. Patri, Iste confess. cum orat.

8. B. V. Assumptionis. (6 Aug.). — *Virtus.* Amor tener et generosus erga B. V. M. — *Praxis.* Lit. lauretanæ, 12 Ave.

9. Cordis Purissimi B. V. M. (Domin. intra octav. Assump.). — *Virtus.* Puritas Cordis. — *Praxis.* Preces S. Mechtildis ad purissimum Cor Mariæ, 9 Ave.

10. SS. Angelorum Custodum. (Ultima domin. Aug.). — *Virtus.* Amor vocationis. Fervor. — *Praxis.* 9 Pat. Ave, Glor. Patri.

11. S. Fr. Borgiæ. (1 Oct.). — *Virtus.* Humilitas, mortificatio. — *Praxis.* 5 Pat. Ave, Iste confess. cum orat.

12. S. Stanislai. (4 Nov.). — *Virtus.* Amor Jesu, et vocationis. — *Praxis.* Lit. lauret., 10 Pat. Ave, Iste confess. cum orat.

13. Imm. Concept. (29 Nov.). — *Virtus.* Mundities cordis. — *Praxis.* Lit. lauret., 9 Ave.

VI.

DE ÆSTIMATIONE ET AMORE.

VOCATIONIS RELIGIOSÆ (1).

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. (II. Pet. I. 10.)

I. Gratiam vocationis religiosæ esse donum Dei præstantissimum et gratiam gratiarum, sic declaro.

1° Quia æquiparatur gratiæ secundi baptismi. « Rationabiliter dici potest, ait S. Thomas, quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum (*hoc est, quoad pœnæ reatum*). Si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis... Multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ,... sicut etiam holocaustum excedit sacrificium. Unde legitur in vitis Patrum quod eamdem gratiam consequuntur religionem intrantes quam consequuntur baptizati. » (2. 2. Q. 189. A. 3. ad 3.)

(1) Cfr. P. Pawlowski. Locut. Dei die 6.

2° Quia gratia vocationis religiosæ est gratia cujusdam martyrii, cum hoc discrimine, juxta S. Bernardum (serm. 30. in cant.), quod vitæ religiosæ martyrium horrore sit mitius illo, quo corpus perimitur. sed diuturnitate sit molestius, sitque per modum cujusdam holocausti, quod lente concrematur.

3° Quia ex se gratia vocationis religiosæ est infallibilis arrha, et irrefragabile privilegium vitæ æternæ; neque enim fallere aut falli potest ipsa Veritas, quæ tamen universaliter pronuntiavit « *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* » Juxta revelationem S. Francisco Borgiæ factam, id conferre dignata est divina Bonitas Societati nostræ, quod perseverantia in illa sit semper connexa cum dono perseverantiæ finalis et cum æternitate sancta. Hanc revelationem typis vulgarunt P. Nicolaus Lancicius in tract. de Institut. Soc. affectu 98; et P. Michael Staudacher in libello cui titulus : *Centum affectus amoris divini.*

4° Quia sequi gratiam vocationis religiosæ et inire statum religiosum, eo animo ut in illo strenue et constanter perfectio intendatur, est summa hujus vitæ beatitudo et salvatio salvationi æternæ prævia.

5° Quia deficere propria culpa a gratia vocationis religiosæ et a statu religioso, est summa hujus vitæ infelicitas, maledictio quædam et, nisi sincera agatur

pœnitentia, prope dixerim, damnatio prævia damnationi æternæ. Hanc infelicitatem S. Bernardus (*de modo bene vivendi. c.* 20), melliflue licet, plenis tamen amaritudine verbis sic expressit : « *Qui congregationem sanctam relinquunt et ad secularem vitam descendunt, a societate Dei elongantur atque dominio diaboli subjugantur.* »

II. Tanti igitur est coram Deo gratia vocationis religiosæ, ut merito gratia gratiarum dici possit, ad quam digne observandam hæ possunt Religioso subservire praxes : 1° Non tantum ipsam vocationem religiosam plurimi æstimare et amare, sed etiam omnia quæ cum illa connectuntur, nempe omnia præscripta in religione, quamvis videantur exigua. 2° Paratum esse ad omnia ardua, molestaque toleranda pro vocatione et cum vocatione. Sic erat paratus B. noster Aloisius. 3° Devovere seipsum religioni in mancipium. 4° Ex amore vocationis religiosæ vestem religiosam exosculari quoties induitur, exuiturque. 5° Ex horis canonicis, (si sacerdos es) unam deputare, quam offeras ad agendas Deo gratias pro vocatione, ad impetrandam perseverantiam in ea et ad satisfaciendum pro ingratitudine circa illam. 6° Pretiosissimæ Dei Parenti, et S. Angelo custodi specialiter addictum esse ; ita enim censebat P. Leonardus Lessius, ut scribitur in vita ejus, devotionem erga B. V. et erga custodem Angelum, ad perseverantiam in Societate Jesu plurimum habere momenti ; qua etiam intentione quo-

tidie Litanias ad B. Virginem recitabat. 7° Ex amore vocationis, in quolibet Sacro, tempore Communionis vota renovare. 8° Quoties pulsus datur ad salutandam B. Virginem, nempe mane, meridie et vespere, ex amore vocationis vota renovare. 9° In Litaniis omnium Sanctorum quotidie recitari solitis, ad illa verba : « *Ut nos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris*, » pectus tundere, donumque perseverantiæ in religione expetere.

VII.

STIMULI

AD PERFECTIUS IN DIES DEO SERVIENDUM.

—

Ibunt de virtute in virtutem. (Ps. 83. 7).

1. Inspice quantus et qualis sit Deus, quam dignus omni amore et obsequio ; irridendus sane fores, si umbram corporis tui, quam in sole tecum ambulare vides, pluris teipso faceres ; et quanto igitur major stultitia, cum rei creatæ Deum postponis ! Filii hominum, quousque diligitis vanitatem ! Quin tu potius cœlum ascende, et Beatorum erga Deum amorem et reverentiam fidei oculo intuere, Psalmistæ verba perpendens : *Domine, quis similis tibi ?*

2. Considera, quæ Dei filius pro nobis egerit et passus sit : « *Ah! si debeo me totum pro me facto, quid debeo pro me refecto, et refecto tali modo?* » ait S. Bernardus.

3. Perpende innocentiam, puritatem, perfectionem Christi, qua te, pro mensura divinæ gratiæ, et ex Dei præcepto et ex Societatis instituto præditum esse oporteat. Quam si non assequeris, quid eris nisi inutile pondus religioni, gravis tibi, aliis molestus, exosus Deo? Annon te pudet de Societate, quæ de te tam bene merita est, tam male mereri? An te non pudebit in judicio?

4. Revoca in memoriam multitudinem donorum et beneficiorum tibi a Deo collatorum. Si unicum vocationis beneficium accepisses, quamtumvis magno fervore Deo servires, debitas ei gratias agere par non esses. « Plane magnum beneficium est, ait Cæsarius, et magnus vitæ fructus sæculum potuisse despicere et Deo inservire cœpisse, evasisse vitiorum infensissimum dominatum et fugisse gulæ et luxuriæ servitutem. Quidni ergo magna pars præmii est, nihil habere commune cum mundo, vanarum rerum conceptibus non cruciari, sceleribus non admisceri et in innocentia vitam transigere; beatæ castitati operam dare et gloriosæ paupertatis cum timore Dei fundamentum ponere, de qua loquitur sapientia : *Melior est exigua portio cum timore Dei, quam multi thesauri sine timore.* »

Intelligamus igitur quanta nobis Dominus in vocatione nostra contulerit; numeremus, si possumus, quantum lucrum fecerimus ab illo tempore quo nobis in ea vivere concessum est, quot quantisque periculis liberati fuerimus, et percipiemus quantam ob præstantia illa beneficia gratiam Deo debeamus. Quid enim nunc ageremus, si in sæculo essemus? Nonne forte nostris involuti malis animam tremendis confoderemus vulneribus? Jam vero si huic vocationis dono beneficium creationis, conservationis etc. adjicias, an non vides te ingrati animi labem tibi illaturum, si negligenter Deo servias?... « *Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens?* »

5. Præmium beatitudinis cœlestis vide quid mereatur : « Noli attendere, ait S. Augustinus, qua iturus sis, sed quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam. »

6. Pondera hinc ingentem virtutis pulchritudinem et excellentiam ; illinc turpitudinem vitii fœdissimam.

7. Compara cum tuo perfectionis studio patrum antiquorum et aliorum sanctorum fervorem. Proh! quam degener es a præcelsis filiorum Dei virtutibus. Tales et tantos cum videas ante te, tu non audebis, tu non poteris ad perfectionis apicem contendere?

8. Recordare multitudinem peccatorum tuorum, quæ tamen dimisit tibi Deus, ut eo ferventius ei servires. « Si, ait Christus S. Birgittæ, laboris et infir-

mitatis pondus timeas, cogita quam grave sit ardere in igne! Quam merereris pœnam si aliquem temporalem Dominum sicut me offenderes? »

9. Considera vitæ præsentis vanitatem ac brevitatem, alterius vero vitæ æternitatem; et sæpe cogita certam esse mortem, incertam autem esse tuæ mortis horam.

10. Contemplare abyssum judiciorum Dei: quam gravia sint et quam inscrutabilia.

11. In memoriam tuam revoca acerbitatem inferni, et felicitatem eorum qui serio sibi invigilant et ferventer perfectioni suæ student.

Hujusmodi considerationes frequenter animo versa, ut harum ope ad fervorem te excites et tempore gratiæ recte utaris. Sic enim quotidie in virtutibus progredieris et effugies illam Christi sententiam, tepidis formidandam : « *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac; sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco tuo, nisi pœnitentiam egeris.* » (Apoc. C. 2. ℣. 4, 5).

VIII.

DE EXERCITATIONE

VIRTUTUM QUOTIDIANA (1).

Omni die renovare debemus propositum nostrum et ad fervorem nos excitare.
(Imit. Chr. L. I. C. 19).

De virtutum excellentia, jucunditate, utilitate aut necessitate non est hic disserendi locus; sed quia omnis earum laus in actione consistit, ecce industrias aliquot et documenta pro quotidiano ipsarummet usu et exercitatione.

I. Illarum virtutum acquisitioni primo incumbere debes, quarum usus frequentior est et quæ magis statui tuo conveniunt. Semel autem electa virtute, cujus studio insistere vis, ejus naturam, conditionem, actus et gradus, excellentiam quoque, commoda et necessitatem prænoscere oportet. Magnum deinde desiderium excitandum est, quod te ejus capacem efficiat et alacrem reddat ad superandas difficultates.

(1) Ex Card. Bona Horol. ascet. 8.

Tum sedulo expendendum quanta sit contrarii vitii fœditas, quæ afferat damna, quantum Deo displiceat, quantum te dedeceat, quantum statui tuo ac fini adversetur. Id vero perficies, instituta hac de re meditatione, et quia virtus non partus corruptæ naturæ sed opus est divinæ gratiæ, in solo Deo fiduciam pones, et ab eo auxilium continua et ferventi oratione postulabis.

II. Quia habitus virtutum ex sæpe repetitis actibus generantur et crescunt, magni refert, nulla neglecta singulas separatim aggredi, unamquamque per aliquod temporis spatium, ejusque actus in quotidianis functionibus nulla prætermissa opportunitate exercere; imo in omnibus ea occasio quærenda est, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Adferenda etiam ad excolendam virtutem constans et generosa voluntas, quæ nunquam a bono proposito resiliat, quæ contra humanam instabilitatem viriliter pugnet nec sinat se, ob virtutis difficultatem et oppositam consuetudinem ac itineris molestiam, a cursu retrahi et a virtute repelli. Non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit coronabitur.

III. Potissima ratio veræ, solidæque virtutis comparandæ, est ad Christum Dominum respicere tanquam ad perfectissimum exemplar, et serio animadvertere quomodo eam docuerit verbo et exemplo, quomodo ejus actus exercuerit, qua intentione et devotione. Considera quid ille egerit et passus sit, ut

ad serium ejus studium te incitaret et gratiam tibi necessariam impetraret. Et quia hactenus tam benigni Redemptoris amorem neglexisti, excita in te dolorem et zelum proficiendi, eumque imitandi. Attende quoque Sanctorum exempla et ea sequi propone, adhibito ad stimulum examine particulari et frequentibus precatiunculis, quibus gratiam proficiendi a Deo petas per eorum intercessionem.

IV. Pro mensura gratiæ tibi a Deo concessæ satage actus virtutis internos et externos diebus singulis intentiores elicere. Eos tam in progressu quam in principio ipsorum, perfectissime quantum potes exerce, non ex arida consuetudine sed novo semper fervore, purissime quoad intentionem, intentissime quoad conatum, constantissime ab eis numquam cessando, quæcumque ingruant adversitates et impedimenta. Actibus vero externis semper internos adjunge, quia ab his illorum dignitas pendet. Sit in te stabile et insatiabile proficiendi desiderium, quo te offeras Deo ad actus virtutis etiam insigniores, tuasque vires longe excedentes, ad ardua quæque pro Dei amore perpetranda, si per vires liceret. Bonam enim voluntatem Deus coronat ubi deest facultas.

V. Omnem adhibe conatum, ut virtus quam exerces, sit vera, solida, perfecta. Vera, inquam, non ficta, non simulata, qua per hypocrisim alios decipias, vel qua ipse decipiaris, vitium pro virtute amplectens. Solida, quæ constanter et cum victoria permaneat

adversus diaboli insidias et tentationes; quæ non quacumque aura circumferatur, nec puerili cuidam fervori, sed altis radicibus innixa sit; quæ speciem externam et pompam fugiat, et extrinseca naturæ dona non pluris æstimet quam valeant. Perfecta, id est omnibus induta conditionibus, quæ ad eam necessariæ sunt, ex præscripto et norma cœlestis atque infusæ prudentiæ: ut id nimirum quod proprium et intimum est in quacumque virtute secteris, ex certo consilio et electione, non temere, aut ex quodam impetu et impulsu naturæ; nec quodam quasi extrinseco ornatu contentus sis, sed ad summum virtutis gradum semper aspires, juxta exemplum quod a sanctis viris et a Christo Domino in eo genere relictum est. Perfecta denique erit virtus, si cum cæterarum omnium societate et usu conjuncta fuerit.

VI. Indicia jam in anima genitæ et obtentæ virtutis, hæc præcipue sunt: Si vitium virtuti oppositum, aut omnino extinctum, aut magna ex parte compressum sit; si passionibus et pravis affectionibus sub rationis imperio jam frænum imposueris; si in exercendis virtutis actibus nullam amplius difficultatem sentias; si continuo proficiendi desiderio flagres; si dicta tepidorum contemnens, bona opera in te ipso serves abscondita, Dei et conscientiæ testimonio contentus; si vitam denique non temere et ex usu instituas, sed ex præscripto rationis et prudentiæ, extra semitas solidæ et masculæ virtutis nullatenus declinando.

IX.

DICTAMINA PHILOSOPHIÆ

CŒLESTIS.

Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. (Prov. III. 13).

1. Quidquid agis præter salutis negotium, amissum puta; unum est quod agas necessarium, nempe quod Maria elegit, quod a te non auferetur, quo beata efficitur anima. Duo sunt fines, bonus et malus. In alterutro sis necesse est, medius non datur; ut sis in bono, a malo cave.

2. Si quem odisse hostem vis, teipsum oderis. Nullum isto salubrius odium, nullus tibi te pejor hostis.

3. Christus per omnia tibi assimilatus est; cura vicissim ut te illi assimiles. Hæc est summa hominis gloria, Deum sequi; hæc summa opulentia, Deum debitorem habere.

4. Quid tibi in mundo quæris, cum mundo major sis? Ideo nihil tibi satis est, quia dum omnia minuta sunt, animus tuus est vastissimus, et ipsius Dei capax.

5. Omnia uti Deus vult, tu quoque velis; velle melius non potes, nam a summo bono malum venire nequit.

6. Spera semper in Deum, qui et juvare vult, quia bonus; et scit, quia sapiens; et potest, quia potens.

7. Noli cor tuum dividere, quasi Deo partem et mundo daturus. Non potes duobus Dominis servire, nec legitima est hæc partitio; ubi dandum, aut totum, aut nihil.

8. Si terram diligis, terra es; si temporalia, cum tempore transibis; si Deum, prope dixerim, Deus es.

9. Nihil amore pretiosius quo cœlum emitur. Summa igitur est prodigalitas, aut vana amare aut noxia.

10. Noli Deum timere, si amare potes; ut autem amare discas, time.

11. Quid homini servis per studia et non Deo? Nempe aliis prodesse vis, tibi nocere.

12. Æternitati thesauriza, non tempori. Quidquid terreni collegeris nihil hinc tecum auferes.

13. Ut malum nullum pœna caret, ita bonum nullum mercede vacat. Cur ergo laborare non satagis?

14. Quid hominem times? Solus Dei timor et amor esse debet; Deus ubique et auris et oculus est.

15. Amor divinus properat ad dura, amor proprius ad dulcia et vana.

16. Bonum est plures hujusmodi habere sententias : singula opera, debita cum perfectione patrata, mihi obtinent gradum gratiæ et gloriæ; afferunt Deo gloriam et honorem, Ecclesiæ triumphanti gaudium, militanti meritum, purganti levamen, proximis ædificationem. Sub peccato mortali debeo tendere ad perfectionem etc.

X.

DE STATU ANIMÆ

IN VIA PERFECTIONIS.

1.

Signa profectus novitiorum in spiritu (1).

—

Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris.
(De Imit. Chr. Lib. 1. C. 25).

Si novitius de suo in spiritu et perfectione progressu ambigat, sequentia signa perpendat et omne dubium facile dissolvet; proficit enim novitius : 1° Si status religiosus ad quem a Deo vocatus est, in dies illi magis magisque placeat. 2° Si in dies crescat affectus ad res omnes Ordinis; non enim omnibus, quibus

(1) Ex P. Lancicio Op. T. I. Opusc. X.

placet Ordo, res omnes Ordinis arrident. 3° Si in dies magis magisque peccatorum numerum imminuat. 4° Si affectus ad consanguineos et amicos mundanos magis spiritualis fiat. 5° Si minus humiliationes sentiat. 6° Si magis quam antea ad orationem afficiatur. 7° Si diligentius quam antea opera ordinaria perficiat. 8° Si adversa, præsertim bonam æstimationem lædentia, exoptet.

2.

Signa tepiditatis (1).

Si incipis tepescere, incipies male habere.
(De Imit. Chr. L. I. C. 25).

1. Orare sine fervore et attentione. 2. Meditari res divinas sine ullo fructu aut affectu. 3. Examinare conscientiam obiter et sine compunctione ac sine efficaci proposito emendationis. 4. Effundere se in res exteriores, non hominum salutis sed tædii causa. 5. Ægre redire ad seipsum. 6. Difficulter se expedire ab hominum colloquiis. 7. Ex rebus creatis solatium quærere. 8. Libere de aliis loqui, eorumque dicta et facta carpere. 9. Graviter ferre disciplinam et paternas superiorum correctiones. 10. Languescere a zelo

(1) Cfr R. P. Aquavivæ Ep. de renov. spir.

animarum, subterfugere fructuosos illius labores. 11. Obedire cum fastidio. 12. Obtinere libenter honorem ab hominibus. 13. Æstimare se vocationem debere suis meritis. 14. In Sacramentorum usu frigere. 15. Non libenter conciones audire et libros spirituales cum fastidio legere. 16. Occasiones peccati non vitare. 17. Indulgere suo corpori et negligere opera pœnitentiæ et corporis afflictiones. 18. Delicias et felicitates æstimare. 19. Divinas inspirationes quibus ad vitam sanctam impellimur sibi dissimulare vel omnino negligere. 20. Ægre de spiritualibus audire et loqui. 21. Curiosum esse novellarum, rumorum, et amantem nugarum, recreationumque plus æquo. 22. Gustu virtutis posthabito, in litterarum muneribus et studiis speciosis libenter occupari. 23. Indifferentem esse erga suam vocationem et perfectionem religiosam. 24. Amare consortium fratrum liberiorum, horrere magis exactorum.

XI.

MONITA

PRO NEGOTIATIONE SPIRITUALI.

Negotiamini dum venio. (Luc. XIX. 13).

I. Primum monitum sit *vivere ordinate*. Est ordo duplex : alter religionis, alter religiosi. Ordo religionis est, certa hora surgere, se ad orationem præparare, eidem vacare, etc. Ordo religiosi est, quem quisque sibi pro libitu servandum præscribere potest et debet, ita tamen ut non prætereat ordinem religionis, sed huic penitus observato suum adjungat ordinem surgendi, meditandi, studendi, etc. Decet enim ut religiosus, sui profectus amans, ita tempus arbitrio suo relictum ordinet. ut tali tempori assignet certam aliquam actionem peragendam et nunquam omittendam, nisi necessitas, aut obedientia, aut sanitas, aut alia gravis ratio contrarium postulet. Quod intelligendum est non solum de longiore, sed etiam de minore aliquo temporis spatio; modo tamen evitetur semper animi anxietas, capitis contentio aut aliarum actionum detrimentum. Ita tempus, quo pergis ex tuo cubiculo ad alium locum, quando aut

vagus circumspiceres, aut otiosa cogitares, impendere potes vel animo colligendo, vel bonæ intentioni renovandæ, vel denique eliciendo actui virtutis pro examine particulari aut meditatione propositæ. « Qui ordini vivit, Deo vivit, » ait S. Bernardus.

II. Non ex uno fine aut unius virtutis, sed plurium intuitu operare. Sunt qui putant multum se præstitisse, quando suas actiones intentione bona, seu actuali, seu virtuali facere laborant. Male quidem non agunt, sed non optime, qui incredibilem meritorum thesaurum relinquunt. Scire igitur oportet unum opus ad plurimos fines dirigi posse :

1° Possumus nostra actione laudare Dominum nostrum Jesum Christum. 2° Illi gratias agere. 3° Eum imitari. 4° Ei nos immolare ac dedicare; 5° Bona tam temporalia quam spiritualia mereri; 6° Impetrare ea nobis et aliis; 7° Satisfacere pro futuræ et hujus vitæ pœnis. Omnes hi fines per unam actionem intendi possunt, quum sibi mutuo non officiant, sed simul se juvent. Porro quemadmodum eadem actio ex diversis finibus procedere potest; ita quoque ex diversis virtutibus. Quod si fecerimus, hinc etiam maxima commoda nobis advenient : uti 1° ingens meritorum augmentum; quum tot sint virtutis actus, quot sunt virtutes intentæ. — 2° exercitatio actuum, et sic per actus sæpe repetitos habituum virtuosorum acquisitio, ut ait S. Thomas. Exemplum habes in Missæ sacrificio, quod ad multos fines offertur.

III. *Ut crescas merito, operare fideliter.* Per fidelem operationem intelligitur : 1° Ut agas quod agere debes, eo temporis momento quo agenda res est. Hanc agendi rationem nobis præscribit S. P. N. Ignatius dum vult nos ad opus accingi, etiam littera imperfecta relicta. Ad hoc nos adhortatur Spiritus sanctus hisce verbis : *particula boni doni non te prætereat.* — 2° Ut agas anticipato, non exspectato præscripto tempore, nisi vel obedientia, vel ratio aliud exigat, vel nisi anticipatio vitiosa sit, ut in sensuum delectationibus et in iis quæ ad laudem faciunt. Causa autem agendi anticipate est, quia qui cito dat, bis dat ; quia anticipatio et fervorem et hilaritatem indicat in Dei famulatu ; hilarem autem datorem diligit Deus ; 3° ut agas cum prolongatione temporis quo aliquid agendum, (nisi item aliud dictet obedientia vel ratio,) ut sic opera tua sint plena et supererogatoria. Intellige in iis quæ ad Deum, vel caritatem, vel abnegationem, non vero ad amorem proprium attinent. Hæc ratio Sanctis propria et signum magni fervoris est. 4° Ut agas cum aliqua dilatione et mora : adhibetur hæc ratio in delectabilibus et sensualibus, in his etiam quæ laudi esse possunt. Hujusmodi sunt : corporis refectio, recreatio, ambulatio, spectacula festiva, aspectus rerum extraordinariarum, et in his mora est laudabilis. Hæc tamen omnia fiant salvis obedientia, caritate, prudentia, et vita communi.

IV. *Ut crescas merito, operare ferventer.* Vix est

aliquid quod valorem impetrandi, et efficaciam satisfaciendi ita minuat, ut tepor et socordia in agendo. Quamtumvis bonum sit opus, nisi cum fervore agatur, omni ex parte Deo placere non potest. Quam ob rem maxime curandum est, ut suos quisque actus ferventissimos exhibeat, non tantum ut placeat Deo, sed ut operibus suis quam maximum valorem et dignitatem conciliet. Vitetur tamen omnis læsio capitis, et fervor iste qui magis consistit in corporis agitatione quam in cordis affectu.

V. *Ut crescas merito operare in caritate heroica.* Nullum est fœcundius operationis genus quam caritas heroica. Operamur in caritate, si omnis nostra actio imperatur a caritate, si elicitur propter caritatem; denique si peragitur cum caritate operante. Heroica autem caritate dicitur agere ille qui operatur magno cum fervore et conatu caritatis et æstimationis Dei: qui operatur fortiter ea in quibus singularem difficultatem vel naturæ repugnantiam, sive ex dæmonis tentatione, sive ex adjunctis loci et temporis, sive ex indole animi provenientem experitur; ejusmodi autem difficultatem, undecumque proveniat, generose aggredi est valde meritorium. Sic, unico leprosi osculo omnem naturæ horrorem domuit S. Franciscus Xaverius. Possunt autem actus esse heroici interdum ex solo objecto, aliquando ex solo conatu, nonnunquam ex utroque simul, ut facile cuique patet. Sed hic notandum est: multum illi

dimitti, imo plurimum illi deberi, qui multum sic diligit.

VI. *Ut crescas merito, ratas habe omnes actiones et passiones, bona omnia, tum propria, tum aliena.* Non tantum multa opera facienda sunt, sed etiam curandum ut opera jam facta, mala jam tolerata, iterum et sæpius in fructum novum convertamus, vel habitu, vel continuatione eorum quæ jam præterierunt. Potest illud fieri non tantum de actibus et passionibus propriis, sed etiam de alienis, ita ut offeramus et ratas habeamus omnes actiones et passiones Christi, B. V. Mariæ, SS. Angelorum, Sanctorum omnium et omnium creaturarum cum omni constantia, latitudine, et bonitate eorum. Hæc ratihabitio non est facile negligenda. Quemadmodum enim qui malos actus suos alienosque approbaret, omnes et singulos voluntate ac intentione ratos habendo, omnium et singulorum fieret reus, ita qui omnium bonorum actuum non tantum suorum, sed etiam aliorum ac creaturarum omnium ratihabitionem sæpe iteraret, novas semper apud Deum mereretur gratias. Magna igitur hic messis meritorum, et quidem non magno labore nobis comparanda.

VII. *Ut crescas merits, utere mortificatione externa in quovis opere.* Multum facit ad meritum mortificatio tum interna, tum externa, de qua hic agitur potissimum. Mirum est enim quam grata Deo, animæ proficua, adversario terribilia sint opera no-

stra quæ præter alias conditiones adjunctam habent mortificationem. Habet etiam religiosus, qui sui profectus est studiosus, operum suorum certos actus et agendi modos tales, ut horum singulis aliquam sui affligendi rationem addat. Quæres quæ qualesque mortificationes, cuique operi adjungi possint? Respondeo ingeniosam esse caritatem, cui facile est invenire modos se affligendi. Hoc solum monitum te velim ut mortificatio tua sit moderata, prudens et talis quæ in oculos hominum non cadat, atque ita demum comparata, ut diu fieri et in multos annos protrahi possit. Advertendum autem est mortificationem esse duplicem, alteram positivam quæ dolorem sensibus infligit; alteram negativam quæ grata, mollia et delectabilia corpori detrahit. Posterioris hujus mortificationis actus sunt, si v. g. cibo insulso salem non apponas, si non respicias, audias, tangas, decerpas, odoreris, loquaris, cum lubet. Qui cupit negotiator spiritualis esse, tam sedulo vigilare debet ad carnem castigandam et sensuum desideria mortificanda, quam amor proprius vigilat ad captanda solatia. Sic fiet ut, quemadmodum aurum, quod per se pretiosum est, si illi addas figuras et emblemata, multo pretiosius et speciosius fit, ita si pietatis operibus per se Deo valde acceptis addatur mortificatio, longe speciosiora inde evadant oculis divinæ Majestatis.

VIII. *Ut crescas merito, sublimes redde tuas actiones per merita Jesu Christi Domini nostri, B. Vir-*

ginis Mariæ et Sanctorum. Spirituales negotiatores hanc industriam habent commendatissimam ; et quidquid tandem agunt, totum id meritis Christi uniunt, unitumque Deo offerunt, sanguine Christi, agni immaculati conspersum, meritis conjunctum, gratia illustratum. Hinc multis in more fuit, ut non tam actiones suas, quam seipsos in vulneribus et corde Christi reconderent, mundarent, calefacerent, et confortarent. S. Franciscus Seraphicus, teste S. Bonaventura, flagitabat sibi in vulneribus Christi balneum quo lavaret quotidie animam suam. S. Gertrudis, locutura, linguam in ejusdem sanguine immergebat. Quid prohibet opera nostra simili industria, quasi aurea facere et Deo per merita Christi offerre? De Christo quæ dicta sunt, aliquo modo intelligi possunt etiam de B. Maria Virgine sine labe concepta, per cujus merita actiones nostræ ornari et Deo offerri non sine fructu poterunt. Amat enim Deus, ut ipsi omnia per B. Mariam Virginem offeramus.

IX. *Ut crescas merito, ne respicias meritum.* Gratis Deo servire est res tanta, ut nesciam utrum aliqua Deo serviendi ratio sit sublimior; atque ideo commendatissimum esse debet, ut gratis Deo serviamus, et non spe meriti, ullius commodi, gratiæ, aut gloriæ. Gratis Deo servire decet, gratis eum amare, ita ut verum de nobis sit illud S. Bernardi : « Causa diligendi Deum, Deus est; ideo amo. » Hoc sit nobis solemne ut profiteamur nos gratis Deo servire in omni passione et actione, in vita denique tota.

XII.

IMPEDIMENTA

IN VIA CŒPTA PROGREDIENDI.

Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. (Matt. XXVI. 41).

Vita mare est, res plena metu, plena periculis; cymba anima nostra; quæ, nisi scopuli latentes antevitentur, dum minus naufragium timetur, conflictabitur aquis tentationum et ima petet. Quapropter a sequentibus virtutis impedimentis, velut a totidem scopulis, cymbam tuam averte.

Impedimentum I. *Respectus humanus.*

1. Hujus impedimenti origo est varia in variis : a) in nonnullis sociabilis ultra limites debitos natura, qua putant nulli quid esse negandum; b) in aliis timor suspicionum; quo omnia cavent; c) in aliis dictamina sophistica et politica, quæ speciem virtutis habent, sed in se aperta sunt amoris proprii dictamina, quibus ab hominibus cupimus honorari et amari; d) tandem natura mollis, quæ malo exemplo aut dicto non audet resistere.

2. Ut respectum humanum generose contemnas, hæc tibi consideranda sunt; a) omnes homines coram Deo sunt quasi non essent. Magis igitur time Deum offendere quam homines. Sane nullus tam emotæ mentis est, qui mallet offendere regem quam ejus aurigam; b) si respectui humano morem geris, privas te augmento gratiæ et præmio æterno, quod consecutus esses, ignavum illum timorem contemnendo, et multa gravia incurris mala, scilicet: Deum offendis, animam tuam lædis, profectui tuo spirituali obicem ponis, pœnas in purgatorio luendas tibi præparas.

3. Ut huic vitio remedia afferas: a) studeas humilitati qua velis ab omnibus contemni; b) cum S. Paulo pro minimo semper ducas judicari ab hominibus, dicens: Dominus est quem judicem formidabo. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Tantus sum quantus coram Deo et non coram aliis; c) familiaritatem fugias: ejusmodi amicitiæ libertatem auferunt religiosam, ac apertam pietatis professionem.

Impedimentum II. *Libertas nimia in agend et loquendo.*

Quemadmodum nihil magis juvenem religiosum exornat, quam verecundia in agendo et loquendo, ita nihil deformat magis quam audax agendi loquendique libertas. « Talis certe quisquis fuerit, inquit S. Bonaventura, non religiosus, sed impostor et simulator videbitur. Vanus et fictus religiosus, ubi insti-

tutionis viam evaserit, cornua denuo assumet, sicque audax et quasi vacca lasciviens a prima conformatione recedere præsumet, » præbebitque : a) scandalum, alios exemplo suo contristans ; b) scandalum, malo suo exemplo alios attrahens ; c) scandalum, ad Societatis contemptum sæculares provocans. Si talis esse formidas, fuge libertatem nimiam in agendo et loquendo, et quidem :

1. Fuge colloquia cum iis quibuscum vetita sunt, scilicet cum extraneis nisi caritas aut obedientia contrarium præscribat ; docuit enim experientia ingentia interdum damna in homines religiosos ex solis colloquiis cum sæcularibus esse derivata. « Quot temporibus nostris, ait S. Laurentius Justinianus, qui tamquam lampades et mundi lumina lucebant coram Deo et hominibus, paulatim ad pristina opera misere redierunt ! »

2. Fuge consuetudinem cum illis qui non spiritualiter vivunt, et dictaminibus pravis imbuti sunt. Facile enim te conformabis ad vitam eorum quibuscum frequens tibi erit sermonis consuetudo. Cum nullo ineas particularem amicitiam, sed cum non spiritualiter viventibus minime omnium. Scopulus est ista amicitia, ad quem nonnullorum allisa vocatio periit. Si quæris quinam spirituales non sint, P. Lancicius tibi respondet : « qui immodesti sunt, garruli, leves, silentii non observantes, gulæ dediti, in studio negligentes et otio addicti. »

3. Fuge colloquia cum veteranis ubi est præscripta separatio. Id tanti faciebat S. P. N. Ignatius, ut transgredienti hanc regulam injungeret pœnitentiam in triclinio ; scilicet, trium dierum abstinentiam a cibis ordinariis, solo pane et aqua ad parvam mensam appositis.

4. Fuge omnem aliorum irrisionem, quæ ex animo alieno, aut imprudentia, aut invidia quadam tacita proficisceretur. Qui irridere solent illos, qui, v. g., de rebus piis loquuntur, qui cum Superiorum venia publice se mortificant, qui perfectius vivunt, regulas melius observant, qui in suo agendi modo aliquam simplicitatem præ se ferunt, aut forte defectum naturalem habent, sive id serio, sive joco fiat, audiant quid S. Carolus Borromæus dicit : « Nullus tam sit impius, ut alios pie agentes vituperare audeat, et dæmonis officium implens, eos ab operibus piis abducere. Non enim omnes qui pie volunt vivere in Christo, statim sunt adeo fortes et generosi in obsequio Domini ut linguas et humanos respectus contemnant, sed ob illos multa aggredi non audent, vel inchoata deserunt, ne sint aliis ludibrio et ab eis quasi in scenam producantur. »

5. Fuge vitium judicandi et condemnandi aliorum facta et dicta. « S. Patri nostro, ait P. Lancicius, adeo insitum fuit neminem judicare et bene omnia interpretari, ut domi nostræ proverbium fuerit : *interpretationes Patris*. Multa nobis videntur male dicta vel facta, quæ sunt sæpe Deo valde accepta. »

Impedimentum III. *Profanus et non spiritualis sermo.*

1. Non satis est ut lingua tua non sit effrenata, sed opus est ut non sit profana. Profecto, si quævis hominum classis de iis libenter loquitur quæ tractat, aliudne optabis a viro religioso? « Videmus, ait S. Laurentius Justinianus, agricultores tractare quod agriculturæ est, sermocinari mercatores de mercibus, artifices de artificiis, de aliis alios. Proh dolor! Soli servi Dei, quæ propria sunt statui suo audire et loqui nolunt. » « Qualis sermo, ait S. Clemens, talis vita: » cura ergo tua non minima sit, ut tales proferas sermones quales Apostolus Petrus a fidelibus postulat (1. Cap. IV. 11.): « *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* loquatur, » et S. Paulus ad Ephesios (Cap. IV. 29.): *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

2. Media illa pro hac re adhibere potes quæ data fuerunt pro colloquio spirituali in *Industriis ad recreationis tempus religiose transigendum.* (Docum. Parte II.)

3. Sermones statui tuo convenientes etiam esse possunt de litteris, officiis, etc., si ad eum, ad quem debent, finem referantur.

4. Attendendum tamen est, ne ita de istis semper loquaris, ut pure spirituales videaris prorsus præ-

scribere sermones. Hic opus est prudentia et caritate, eritque omnium optimum, si S. P. N. Ignatii exemplo inhærens, ex ipsis de studio, officio, etc. sermonibus dextere ad spiritualia transeas, et, ut ipse dicere solebat, per portam eorum quibuscum loqueris ita ingrediaris, ut per tuam egrediaris.

Impedimentum IV. *Immodestia.*

1. Si videris, ait S. Bernardus, religiosum, de quo prius confidebas, ubicumque stat, sedet et ambulat, oculis incipientem vagari, caput erectum, et aures tenere suspensas; e motibus externis hominem internum mutatum agnosces. » Quod si vitium immodestiæ facit ut bonus in malum mutetur, facile intelliges quanto minus efficit ut e malo quis bonus evadat. Hinc P. Plaza uni e nostris roganti, quo maxime a suo profectu impediretur, respondit : « Ego immodestum corporis tui habitum exigui tui profectus causam potissimum judico. » Et sane, si verum est illud, uti reipsa verissimum est, « ubi Christus, ibi modestia, » verissimum quoque est istud : ubi cura modestiæ non est, ibi nec sanctitatis, nec perfectionis cura erit. Fac enim virtutem in anima hospitari; si tamen modestiæ curam removeris, ad ipsam, tanquam ad vestibulum janua destitutum, liber patebit cuivis vitio, sed imprimis vitio impuritatis aditus, quod non solum hominem exteriorem, sed etiam interiorem, tamquam fera bestia, devastabit. Quamvis igitur, quemadmodum

vinea, anima florescat, et virtutum uberrimos fructus promittat; si sepe modestiæ destituatur, nonne conculcabitur, spesque deplorata jacebit? Cogita te in totius mundi theatro esse, conversosque omnium oculos in te; nam juxta Apostolum, « *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis et hominibus.* » (I, Cor. 4. 15) « *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* « (Phil. 4. 5), ut intuentes nos, Patrem nostrum, qui in cœlis est, glorificent.

2. Media et modum exercendæ modestiæ subministrant : 1° Regulæ de modestia. 2° Continua cogitatio præsentiæ Dei, in qua si ambulemus, modesti procul dubio erimus. 3° Exemplum Christi, B. V. Mariæ, S. Aloisii, S. Stanislai, B. Berchmans, quos ob oculos continenter habeamus. 4° Observa diligenter quæ dicta sunt in praxi refectionis corporis et recreationis instituendæ. Quod vero ad vestitum spectat, sit is mundus, absque nitoris affectatione; indusium parum circa collum eminens, non tamen circa colli tegmen pendens.

Impedimentum V. *Vitium gulæ.*

Si quod vitium religioso viro indignum, virtutis inimicum, ingenio hominis noxium, et Societatis Jesu alumnum dedecens, post impuritatis vitium, aliud non est magis quam illa brutalis gastrimargia, quæ non tantum ad litterarias exercitationes hominem ineptum reddit, sed etiam everso spiritus profectu,

viam sternit ad multa peccata. « Ex uno gulæ vitio, ait S. Gregorius, innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ in aciem procedunt. » At cum hæc septem capita gerens hydra occiditur, septem veluti fontes peccatorum obstruuntur. Gulæ vitium quinque modis præsertim tentat :

1° Tempora statuta prævenire bibendo, edendo. Tentatio non esset censenda si ad id infirma valetudo cogeret. 2° Furtim aliquid cibi in cubiculo conservare et edere. 3° In ordinaria refectione cibos delicatos appetere, fastidire communes. 4° In quantitate cibi potusve modum excedere. 5° Ea quæ administrantur inordinato æstu devorare.

XIII.

ADJUMENTA

AD CONCEPTUM IN TIROCINIO SPIRITUM CONSERVANDUM.

Justitiam meam, quam cœpi tenere, non deseram. (Job. XXVII. 6).

Parum aut nihil profuerit, si quis in terra reconditum thesaurum sudore multo et labore tandem reperit, nisi in id quoque sedulo incumbat, ut inventum impigro studio conservet et augeat. Thesaurus

sane ingens est Societatis Spiritus, quo qui aguntur filii Dei jure et merito nominari possunt ac debent; siquidem spiritus Societatis haud alius est quam spiritus Filii Dei, Christi Domini nostri.

Sicut laboriosus et industrius mercator, nihil non agit ac molitur, ut opes opibus adjiciat per nova lucra; sic tu quoque nihil non molire, ut conceptum tanto labore et conatu, tirocinii tempore, Societatis spiritum conserves augeasque, adjumenta sequentia sedulo adhibendo :

Adjumentum I ad conservandum nostræ Societatis spiritum est rectus, constans, et exactus *meditationis*, utriusque *examinis*, *confessionis* et *communionis usus*. Hi sunt quinque illi panes propositionis, qui in veteri lege singulis diebus ante conspectum Domini recentes inferri debebant, et sine quorum adminiculo spiritus noster opinione citius mortuus extinguetur. Recentes ergo in dies ante conspectum Domini inferri debent, id est, in dies novo ac recenti fervore ac diligentia utendum est illis; nam tantum momentum in iis pietatis exercitiis positum esse asseruit S. P. N. Ignatius, ut hæc sola satis superque sufficiant Societatis nostræ scholastico ut promoveatur ad maximam sanctitatem, ne dicam ut primævum spiritum conservet. Contra, jugi et funestissima constat experientia quotquot e Societate turpi transfugio discesserint, eosdem vel ob decurtata, vel ob omissa aut negligenter peracta hæc pietatis exercitia discessisse.

I. Et re quidem vera, quod ad *meditationem* spectat, teste Climaco, mater est et regina, cibus et fons virtutis, ministra gratiæ et profectus omnis auctrix. « Si video, inquit S. Chrysostomus, hominem in meditando remissum, nec id quidquam pensi habere; de ejus anima sic conjicio : pertenuis esse virtutis, perpaucisque Dei donis ornatum. » Illius rationem subjicit S. Augustinus dicens : « recte novit vivere, qui recte novit orare. » Nec adeo mirum, esse tantum in meditatione momentum; hac enim, teste S. Thoma, destitutus Religiosus, est veluti miles sine armis, cum et lumina ei desint et pii motus ad conservandum spiritum maxime necessarii. Faciant ergo te aliena pericula cautum. Societatis Jesu licet sis alumnus, adhuc graviter labi, adhuc vocatione tua excidere potes; primum si horres, ora; alterum si times, ora; et quidem sicut adhuc tiro edoctus fuisti. Quod calor est stomacho, quod aqua est pisci, id tibi meditatio est et esse debet, si vivum et spiritu Societatis vegetum membrum esse cupis religionis.

II. Non minoris ponderis est usus rectus et serius *examinis*, qui ut gladius Gedeonis, ex utraque parte acutus, vitia resecat et resecata denuo pullulare prohibet. Duo ad conservandum primævum spiritum omnino sunt necessaria : ut peccata et defectus minuantur, et actionibus nostris suus stet splendor et perfectio. Defectus haud unquam minueris, nisi in eosdem vigilanti examine constans inquisieris; actio-

nibus ocius suus defluet splendor, nisi ad examinis trutinam revocaveris.

Duo priora non solum utilitate æquat, sed multo etiam superat diligens *S. Communionis* et *Confessionis* usus. De S. Communione dicere solebat S. Maria Magdalena de Pazzis: « si hoc bono uti sciretis, paucis diebus repleremini cœlesti amore. » Jam vero, ut ait abbas Gulielmus, « ad dominicam hanc mensam accedere nec fructum ferre majus est prodigium, quam Babylonicos pueros in fornace non arsisse. » Legitur S. Ignatium, communionis hora, ita æstuare consuevisse, ut omnes partes corporis ardescerent, venæque manifesta corporis palpitatione trepidarent. Nonne tibi silex in corde stare credendus est, nisi accedens ad hunc ignem consumentem tu quoque ignesceres? certus esto haud esse aliud tempus magis idoneum profectui quam communionis dies ac tempora. De confessione hebdomadaria, quantum ad conservandum spiritum conferat, non est quod loquar, quum nemo ignoret quam graviter de hoc sacramento SS. Patres loquantur. S. Augustinus ait : « Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? obstruit os inferni, aperit portas paradisi. » S. Bernardus ait : « Ama confessionem, si amas decorem; junguntur confessioni decor et pulchritudo ; nam si peccata sint, lavantur ; si bona opera, mundantur. » S. Isidorus : « confessio sanat, justificat, peccati veniam donat; omnis spes in con-

fessione consistit. » Utere ergo hoc adeo salutari lavacro, et electam semel praxim pie confitendi tenax et sedulus conserva.

Adjumentum II. *Unio et familiaritas cum Deo.* Hoc alterum adjumentum hujus est naturæ, ut eo absente omnia priora, licet in se efficacissima, fere irrita reddantur et fructu destituta. Da enim hominem qui hac unione et familiaritate destitutus vivat, ejus memoria erit quasi regia via, aut forum publicum per quod omnis generis phantasiis liber transitus datur; ejus intellectus erit cunctis tentationibus patula domus; ejus voluntas pila lusoria, quam pro libitu passiones in gyrum agent; ipse vero homo quantus est, similis tandem fiet myrothecæ operculo carenti, fornaci semper apertæ, unde omnis spiritus et calor facto impetu diffugiunt. Contra si quis Deo unitus familiariter agat cum eo, quam a priore diversus conspicitur! ipse Christus plurimos ei confert fructus; fructum scilicet cœlestium luminum, nam Jesus est sol qui illuminat omnem hominem; fructum consolationis, nam teste Paulo, *ipse est qui consolatur nos in omni tribulatione nostra;* fructum laborum, nam quo aptius instrumentum junctum est manui opificis, eo mirabiliora opera patrat; fructum caritatis, nam Deus caritas est; fructum denique fortitudinis, nam ab ipso mutuamus fortitudinem nostram. Quo fit ut talis homo in dies disponat majores in corde suo ascensiones, nec solum quod in tirocinio acquisivit conservet, verum

etiam adaugeat. Hanc admirabilem virtutem ut acquiras observa regulas sequentes :

1. Frequentes actus de Dei præsentia elice per diem ; nam *in illo vivimus, movemur et sumus.*

2. Hic gradum minime figas oportet, sed ad voluntatem transi, qua Deum tibi semper præsentem vel ames, vel adores, vel ei gratias agas, vel te humilies, vel veniam petas, vel opem poscas ; idque per breves, sed ardentes et raptim ejaculatas aspirationes.

3. Ut Dei præsentis memoriam excites, abnegatione et mortificatione utere continua velut excitatore, jam oculos, jam aures, modo linguam, modo voluntatem propriam ex amore Dei mactando ; et tua consolatione experieris non esse lignum ad excitandos ignes divini amoris aptius quam lignum crucis, id est abnegationis et mortificationis.

4. Cum Psalte regio *averte oculos tuos ne videant vanitatem* et ne in pluribus sis curiosus, memor illius quod Jesus Christus Petro dixit : *Quid ad te, tu me sequere.* Arce ergo ab oculis tuis nova omnia ac inutilia, ab auditu vero mala et male loquentes.

5. Cura silentii per custodiam cubiculi sit tibi imprimis cordi. Quidquid temporis studiis vel officiis poteris suffurari, id Deo potissimum impende. Sponsa Sunamitis, quamdiu dilectum per vias ac plateas quæsivit, eumdem minime invenit ; sed tunc vox dilecti in

auribus sponsæ insonuit, quum illa tacens latuit, veluti columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.

6. Fuge præcipitem in agendo impetum et inconsiderantiam, nec sponte te ingeras occupationibus valde dissipantibus; secus enim unio cum Deo amittetur, sicut pulvis exorto turbine raptus ex area, et fumus ex fumario. Noli permittere ut in multis sint actus tui, noli credere omnium actionum cardinem in te versari et in te uno omnem prudentiam esse reconditam, noli denique nimio actionis æstu abripi; sed festina lente, alias festinabis inaniter: « nam viro ad perfectionem currenti jugis debet esse unio cum Deo, familiaris ejus collocutio. » (S. Justinianus).

Adjumentum III. *Colloquium cum Patre spirituali.* Magnum est solatium habere cui pectus aperias. Incitamenta ad hoc sunt:

a. Regulæ.

b. Ordinationes Generalium.

c. Exempla et monita Sanctorum.

d. Ipsorum gentilium monita.

S. Vincentius dicit: « Christus nunquam gratiam suam minist: bit illi qui, quum habet in via spirituali ductorem, ductum ejus negligit. Hæc manifestatio ex ductu regulæ et obedientiæ est regia via, homines ad summitatem scalæ deducens cui Deus innixus est; » et S. Cyprianus: « Facilis cura est, ubi plaga est per-

spicua, et cito ad sanitatem, medela subveniente, perducitur vulnus quod videtur. » S. Teresia aiebat, « se pluris facere Superioris aut Patris spiritualis consilia quam mille revelationes. Effunde ergo coram illo tanquam patre cor tuum. » Noli, ait S. Augustinus, retinere cor tuum intra cor tuum. Non perit, quod effundis; ille enim susceptor tuus est; si suscipit, quid times effundere?

Res cum Patre spirituali tractandæ hæ sunt :

a. Successus rerum spiritualium.

b. Quævis molestiæ, tentationes, difficultates.

c. Bona, pœnitentiæ internæ et externæ, virtutes.

d. Dubia quæ occurrunt ad rerum spiritualium majorem cognitionem.

e. An priore mense factus sis melior vel pejor in aliqua re, quare et quomodo?

Adjumentum IV. *Recollectio menstrua.* Conferatur praxis instituendæ recollectionis hebdomadariæ et menstruæ, supra in documentis tradita.

Adjumentum V. *Cura minimorum :*

S. Franciscus Xaverius ait : « Nemo seipsum fallat: non potest quispiam magnis in rebus excellere, qui prius non excellat in parvis. Qui enim parvo oneri ferendo par non est, multo minus magnum laturus est; abhorrebit enim a magnis qui abhorret a parvis. » Didicisse hoc poterat S. Franciscus a S. Gregorio dicente : Si curare parva negligimus, infallibiliter

seducti, factique audentes majora mala patramus. Est autem hoc sciendum, curam minimorum in tribus consistere :

a. In fugiendis : ut sunt peccata et imperfectiones omnes.

b. In faciendis : ut sunt leges scriptæ, consuetudines approbatæ, modus faciendi omnia opera supererogatoria.

c. In mortificandis : ut sunt malæ passiones, modus agendi inordinatus et a sociorum exemplis alienus.

Incitamenta ad id nos impellentia sunt :

a. Deus obsequia etiam minima obsequiis maximis remuneratur et præmiis. In hanc sententiam dicit Paulus : *momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (2 Cor. 4. 17).

b. Per fidelitatem in minimis Deum excitamus etiam ad majora dona nobis concedenda : sic iis tradunt principes thesauros custodiendos quos etiam in minimis repererunt fideles *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (Matth. 25. 23).

c. Qui minima non curat non tantum non proficit, sed a perfectione paulatim recedit et forsan a religione. *Qui spernit modica paulatim decidet* (Eccli. 19. 1).

d. Sicut granum sinapis quod minimum in semine, maximam tamen crescit in arborem ; sic cura mini-

morum velut semen fœcundissimum non solum excrescit in spicas altissimarum virtutum, sed in amplissimos omnium aliarum virtutum manipulos, quibus incrementum perpetuum dat Deus. « Perge itaque, ait S. Ignatius, perge exerceri in minimis, ut maxima æterna vitæ præmia consequaris. »

XIV.

MONITA

PRO NOVITIO TIROCINIUM ABSOLVENTE.

—

Tene quod habes. (Apoc. C. III, ℣. 11).

Novellus religiosus qui e novitiatu emittitur, quasi in alienam regionem ingreditur, in qua incautos haud raro afflat aura quædam maligna, quæ illis eo magis nocet quo minus animadvertitur. Contingit enim sæpe ut probro sibi ducant ea quæ veram ac genuinam laudem pariunt, et usque adeo natura in malum prona est, ut post tam sollicitam tirocinii culturam, non raro in honore ponant, si discolorum quorumdam vitiis maculentur; ex quo fit ut multi, non solum conceptæ in tirocinio pietatis, sed interdum etiam vocationis ipsius naufragium faciant. Huic periculo sapientissime cautum est in Societate. Etenim non

unico passu e novitiatu ad scholasticatum, aut ad docendi munus transeunt tirones. Præscribit Institutum nostrum ut post emissa vota juniores, saltem per biennium, seorsim a cæterorum consortio vivant, sæpius cum Patre spirituali colloquantur, et ab eo studiosius instruantur et informentur (Ord. Gen. C. XIII). Cum tamen idcirco non omne periculum removeatur, aliqua eis præstanda sunt, alia autem fugienda, quæ duobus hisce paragraphis comprehensa habentur. (*Cfr. insuper Rodriguez de perf. christ.* P. 1. Tr. 11. C. 1.)

Fugienda Novello Religioso.

Diabolus novitio e tirocinio egresso persuadere conatur, cum novitiatu omnia simul esse peracta. Hinc dictamina non ex schola Christi, sed ex sua illi suggerit.

1. Non sum amplius novitius. R. « Duo sunt novitiatus in religione, ait S. Bonaventura (in Præf. oper. de Prof. Rel.), unus terminatur quando vota emittuntur; alter durat quousque religiosus statum bene vivendi in consuetudinem convertet. » Si non es amplius in priori novitiatu, an non es in altero? Recordare verborum S. Antonii abbatis : « Admoneo vos, o » viscera mea, ne tanti temporis laborem repente » perdatis; hodie vos religiosum statum arripuisse » arbitremini. »

2. Non tanto rigore opus est in collegio, quantus

exigebatur in tirocinio. R. Non exigitur tantus rigor, quia supponitur acquisita aliqua bene operandi consuetudo, quæ nondum habebatur initio vitæ religiosæ. Dein vero ubi sunt majora pericula; in tirocinio, an in collegio?

3. Rigor continuus obest valetudini, nullum violentum perpetuum. — Oppone iterum illud B. Berchmans : « Disrumpar potius, quam vel minimam ordi- » nationem aut regulam voluntarie transgrediar. » In religione perpetuo naturæ vis infligitur. (Lege C. XXV. Lib. 1. De imitatione Christi.)

4. Regula sub peccato non obligat. — Responde huic : *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem* etiam absque obligatione. Hoc liberale, illud servile est; dein raro fit ut regula violetur absque ullo peccato.

5. Vita communis tenenda, vitandæ singularitates, ne habear exoticus et aliis displiceam. — Responde : Vitæ communis est regulas servare, bonum exemplum dare; singularitas est ea contemnere : « *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Ad Gal.) » Non juxta aliorum mores, sed juxta regulas vivendum est; non quo eatur, sed quo eundum sit attende.

6. In istis minimis sanctitas non consistit. — Oppone denuo illud Christi : « *Qui fidelis est in minimo, et*

in majori fidelis est. » (Luc. 16. 10.) Sine minimis non stant maxima.

7. Licet hoc aliis, cur non mihi? — R. Non licet hoc aliis; si quis liberius vivit, male agit. Insuper hoc dictamen simile est quæstioni Pharisæorum : *Numquid de principibus quisquam credidit in eum* (Christum) *aut ex Pharisæis?* (Joan. 7. 48.) Oppone illud : attende tibi et regulæ; non venisti hominem sequi, sed Christum.

8. Regula non est scrupulose accipienda; discrete et ad sensum et usum est explicanda. — Huic oppone quod est apud S. Franciscum Seraphicum : sine glossa, sine glossa. Dein quis te regularum interpretem constituit?

9. Indecens est ut tiro veteranos reformare velit. — Dic : Nolo reformare; sed etiam nolo deformari.

10. In Societate plus prosunt docti quam sancti et modesti. — Sed dicito : S. P. N. Ignatius ait : « in virtutibus majus momentum esse ducant. »

En pauca quædam ex plurimis dictamina, quæ forte aut dæmon, aut alius tibi suggeret; sed tu ea tanquam diabolica repelle, et jam inde a primo post novitiatum anno, generose te geras, tibique identidem cum Job proponas : « *Justificationem quam cœpi tenere, non deseram;* » et cum B. Berchmans : « Non erubescam ea facere, quæ edoctus sum in novitiatu. »

Præstanda Novello Religioso.

1. Cum novitius e tirocinio ad studia transgreditur, curet ut scientiam cum virtute conjungat, sibique hunc geminum vitæ suæ finem perpetuo ante oculos ponat. « Scientia et virtus, aiebat V. P. Balthasar Alvarez suis e novitiatu egressuris, sunt geminæ illæ arbores paradisi, arbor vitæ et scientiæ; sunt duo illa luminaria majus et minus, quorum unum sine altero non potest subsistere.

2. Cum novellus religiosus a tirocinio ad collegium missus es, ne illa rerum mutatione incautus capiaris, tuumque primum spiritum perdendi periculum incurras; te præmuni ab initio, et propone statim primo anno studiorum te non discessurum, vel latum unguem, a primo fervore et consuetis pietatis praxibus. Proinde maxime attende ut adjumenta spiritualia diligenter adhibeas et impedimenta constanter et studiose caveas. (*Cfr. Adjum. ad concept. in tiroc. spir. conserv. et Impedim. in cœpta via progr.*)

3. Actiones externæ et indifferentes aliæ communes sunt novitiis cum collegialibus, aliæ his solis propriæ. Communes sunt edere, bibere, dormire, officia publica in refectorio et culina, aut privata in cubiculo, aut tandem exercitia quædam corporalia et humilia. Has autem actiones scholasticus eodem prorsus modo obeat, quo ea obeunda esse didicit in novitiatu. Actio-

nes collegialibus propriæ sunt, quas nunc primum assumit, ut vacare litteris, legere, componere, scribere, disputare, et in his observet illum modum quem tempore novitiatus didicit in operibus externis esse adhibendum, eamdemque intentionem, modestiam, abnegationem aliasque virtutes. Qua igitur cura et perfectione spiritui suo excolendo studuit in tirocinio, legendo, scribendo etc., eadem jam utatur ad salutem et perfectionem alienam promovendam, legendo, et studendo. Qua perfectione legebat libros spirituales in tirocinio, eadem legat studiis suis opportunos in collegio. Qua simplicitate et indifferentia se suaque curæ Dei et superiorum concredebat in tirocinio, eadem utatur in collegio. Qua animi promptitudine et mansuetudine exspectabat, acceptabatque officia in singulas alternasque hebdomadas in tirocinio, eadem illa exspectet in collegio. Qua cura quærebat minimas se mortificandi, abnegandi et humiliandi, caritatis aut obedientiæ occasiones in tirocinio, eadem illas quærat in collegio, et sic prorsus omne fervoris primi minuendi periculum evadet, imo se ipsum in dies perficiet.

4. Non sibi blandiatur jam omnia bella esse finita, jam satis datum observantiæ, duriorique vitæ; jam sibi licere libertatem, dissolutionemque competere; permissumque in regularum et disciplinæ observantiam impune peccare. Hoc enim esset initium ruinæ spiritualis.

5. Meminerit se esse velut chartam candidam, ceram mollem, aut tabulam rasam, in qua vel aurei virtutum vel atri vitiorum, liberioris laxiorisque vitæ characteres depingi queant, tota vita sequente vix delendi. Attendat proinde et videat cui se permittat; et non cujusvis, sed potius Superioris aut Patris spiritualis consilium sequatur, ne forte alios incaute sequendo, velut cæcus cæcum, ambo in foveam cadant.

6. Ternis hisce fundamentis totum suum ædificium spirituale superstruat, iisque immobiliter inhæreat. 1° Ardentem et inconcussum vocationis suæ amorem semper retineat, et si imperatæ quædam, arduæque res occurrant, ne diaboli tentatione accedente præcipitetur, candide ea Superiori aperiat et facile victor erit. 2° Ardentem et robustum amorem perfectionis famemque insatiabilem omnigenæ virtutis constanter, conservet, ne vitia latentia reviviscant, et caro, mundus ac diabolus spiritum superent. 3° Haustæ in tirocinio institutioni, piisque consuetudinibus animo tam obfirmato constantique inhæreat, ut nec ulla verecundia, necque dicteriis ullis jocisve ab iis absterreatur; sic vel irrisorem admiratione complebit.

7. Si forte notet in collegarum aliquo defectum quemdam, exemplum minus bonum, regulæ transgressionem, vel seniori cuidam res commodas aut etiam superfluas esse concessas, aut quomodocumque

demum cum ipso esse dispensatum; interpretetur hæc omnia in meliorem partem nec statim damnet: *nolite judicare;* nec illico idem sibi quoque licere arbitretur, sed optimum quemque sequatur; apum more mel e floribus, non venenum sugat.

8. Ne vocationis suæ amorem imminui patiatur, ob defectus quos in collegio forte majores videbit, quam in novitiatu, neque exinde minorem opinionem de religione concipiat. Nullus fuit in Ecclesia ordo tam sanctus et perfectus, qui non habuerit imperfectos, ut patet ex historia ecclesiastica. « Etsi, ait S. Bernardus, videantur fieri defectus in ordine, tu unum age, nempe semper æmulare magis devotos ac spirituales. » « Veloces sequere, ait S. Chrysostomus, tardiores attrahe, pigriores desere, fortiores fortiter imitare; cito enim ad quod desideratur perveniunt, qui velociorem sequuntur, et verentur ne a tardioribus transeantur. »

9. Sed nec dimissorum multitudo aliquid timoris ipsi ingerere debet. Hoc ipsum ad Societatis amorem incitare debet, quam Deus meliorem reddit, eam a discolis purgando.

10. Colloquia cum externis devitet et familiaritatem cum adolescentibus, curæ suæ ab obedientia non commissis, atque in omni conversatione cautus sit, ac timeat ne ruinæ occasionem præbeat.

11. Colloquia etiam cum consanguineis nisi ratio virtutis aliud suadeat, non quærat: solent nonnulli

novelli religiosi initio ad illos inviti accedere; sed sensim hæc hausta in tirocinio pia repugnantia minuitur, ac denique omnino tollitur; consuetudo dulcescit, amor sensualis reviviscit, et sic spiritus intepescit, et anima religiosa rursum mundo, carni et sanguini agglutinatur, et hujus sæculi curis et sollicitudinibus irretitur.

12. Cubiculi sui scholasticus amator sit, extra illud absque necessitate in ambulacris, locisque publicis non hæreat; nec aliis forte loquentibus sese adjungat. Hac ratione multa inutilia non audiet, silentium non violabit, tempus pretiosum non perdet et multas culpas vitabit. Incredibile enim est, quantum damni tum in pietate tum in scientia afferant colloquia ista inutilia, et a regulis nostris prohibita. (*Vide P. Gaspar Druzbicki, de vita nov. relig.*)

XV.

QUÆDAM SENTENTIÆ

B. JOANNIS BERCHMANS.

---

1. Nulla res mihi magis vitanda, quam otium, et tristitia, et familiaritates.

2. Non sum securus, nisi habeam verum et filialem affectum erga B. Virginem.

3. Tamdiu ero verus filius Societatis, quamdiu ero candidus et apertus Superioribus.

4. Non facile petam facultatem generalem pro aliqua re.

5. Vivam in dies et horas, nihil sollicitus de crastino.

6. Profitebor me hominem spiritualem et devotum.

7. Nolo unquam cogitare quid de me futurum sit, sed Deo me totum credere, et confidere.

8. Quidquid affert inquietudinem, est a diabolo.

9. Non dependere, aut inniti ulli, sed soli Deo et meis Superioribus.

10. Illud quod possum facere hac hora, non differam ad aliam horam.

11. Multum confidam in gratia meæ vocationis.

12. Pro parvis defectibus magnas facere pœnitentias.

13. Nisi ego sanctus evadam interea dum sum juvenis, nunquam ero sanctus.

14. Maximi facere minima.

15. Nolle ut Superior, quando aliquid imperat, ullam reddat rationem.

16. Sequi in omnibus communitatem, et maxime odisse singularitates.

17. In omnibus ero mundo contrarius.

18. Odisse ut pestem dispensationem in regulis.

19. Si non habeo habitum orationis, non vivam in Societate cum pace.

20. Multum facere, parum loqui.

21. Attende tibi; de aliis quid agatur quid ad te?

22. Non erubescere facere omnia illa quæ doctus es in novitiatu.

23. Talis et tantus es, qualis et quantus es apud Deum, non apud homines.

24. Ita ero zelosus honoris Societatis Jesu, sicut ambitiosus verus honoris proprii.

25. Si vis esse filius B. Virginis et Societatis, zelator esto castitatis tuæ.

26. Interea dum ero studiosus Societatis amabo et incolam cubiculum quantum possibile est.

27. Si tibi est cordi honor Societatis, sit tibi cordi modestia, et in recreatione colloquium spirituale.

28. Sit tibi dulce pro amaro, et amarum dulce.

29. Sit tibi curæ Deus, et Deo erit cura de te.

30. Vide ne ob negligentiam tuam Deus tibi auferat teneritudinem animi, et permittat te insensibilem.

31. Quod tibi displicet in aliis, nunquam facias, sed quod placet.

32. Vide ne ulli unquam e Superioribus tuis sis gravis, et nulli in Societate molestus, sed potius omnium sis recreatio.

33. Geram me in Societate, ac si essem mendicus, per gratiam admissus in Societatem; omnia mihi ex mera gratia fieri cogitabo.

34. Matrem præbe te erga alios, erga te ipsum judicem.

35. Quid mihi prodest diu in Societate vivere, et ad illius finem non pervenire?

36. Non curabo aliorum dicta circa observationem regularum et propositorum.

37. Facilius est loqui de rebus spiritualibus cum paucioribus, quam cum multis.

38. Non est bonum semper agere cum iisdem, sed cum diversis in recreatione.

39. Cavebo mihi sedulo a judicando alios, aut aliorum rebus me immiscendo; si aliquid inexcusabile occurret, compatiar et me inspiciam.

40. Valde verecunde et humiliter in omni loco agam cum fratribus.

41. Disrumpar potius, quam vel minimam ordinationem aut regulam voluntarie transgrediar.

42. Cum aliquis tecum sua confidenter volet communicare, fac ut sciat, te illa quæ dicet Superiori dicturum, si ita videatur.

43. Conversatio tepidorum vitanda ut lippientium; aspectus mulieris vitandus sicut basiliscus.

44. Omni studio curabo et tuebor pacem et lætitiam internam.

45. Nunquam a mensa recedam, nisi me in aliquo mortificavero.

46. Contemptus sui est via compendiosa ad perfectionem et causa magnæ quietis.

47. Tantum displicet oratio diabolo, ut omni studio eam impedire conetur.

PARS QUARTA.

DOCUMENTA

AD SCHOLASTICOS

MAXIME PERTINENTIA.

Quem tanta, quanta vos serviendi Deo
obligatio devincit, vulgari labore et
famulatu non est contentus.
Ex. Sent. S. P. N. Ignatii.

DOCUMENTA

AD SCHOLASTICOS

MAXIME PERTINENTIA.

I.

INSTRUCTIO PRO SCHOLASTICIS.

Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem. (Prov. XXVII. 11.)

I. Inter indifferentes religiosorum occupationes, vix aliqua magis laude digna reperitur, quam studium litterarum. Quod, cum de omnibus religiosis verum sit, jure meritoque magis convenit illis, qui vi vocationis suæ ad salutem animarum procurandam laborare debent. Ideoque sicut in perfectionis studio, ut summam sanctitatem adipiscatur, vires omnes scholasticus intendere debet; ita in litterarum scientiarumque studio hoc sibi constanter proponat, ut in illis insignis evadat. Nihil enim, post vitæ sanctimo-

niam, ad animas Deo lucrandas adeo efficax est ac scientia. Præterea « dum sæcularibus litteris instruimur, aiebat S. Gregorius magnus, in spiritualibus adjuvamur. »

II. Apud Deum insta, cum Propheta dicens : *Spiritum tuum, Domine, ne auferas a me*, ut postquam *spiritu principali* (nempe caritatis) *confirmaveris*, spiritu etiam scientiæ veræ ac sapientiæ æternæ munitus, valeam *docere iniquos vias tuas, et impii ad te convertantur* (R. P. Jac. Lainez ad Schol. Soc).

III. Modum conjungendi virtutem cum scientia præclare hisce verbis tradit optimus Scholasticus B. J. Berchmans :

Bonus scholasticus Societatis Jesu :

1° Præter gloriam Dei et animarum fructum, nihil intendat.

2° Sit devotus et addictus orationi; gratiamque proficiendi sæpe petat.

3° Solidarum virtutum amore, necnon religiosæ vitæ flagret.

4° Examen particulare et generale diligenter exerceat, sacro quotidie devotissime intersit, et devote octavo quoque die communicet. Hæc enim tria S. P. N. Ignatium vehementer cordi habuisse dum Parisiis studeret, tradit Maffeus (L. I. C. 19).

IV. Modum quoque vice versa conjungendi scien-

tiam cum virtute idem, ex scholasticorum regulis, hoc modo exponit :

1° Persuadeat sibi, quod studere secundum mentem Societatis, sit magni meriti. 2° Quoad genus studiorum et præceptores indifferentem se exhibeat. 3° Serio et constanter animum ad studia adjiciat. 4° Præfixam temporis divisionem sedulo servet. 5° Nullos nisi a præside præscriptos libros usurpet. 6° In audiendis, prævidendis, repetendis, examinandis lectionibus, aliisque componendis, omnem assiduitatem et diligentiam impendat. Hac ratione litteras cum spiritu conjunget.

V. Persuadeas tibi orationem optimum esse medium ad scientiam. Non minus orando quam studendo scire se, aiebat V. P. Balth. Alvarez. Hunc orationis fructum expertus est S. Bonaventura, qui S. Thomæ bibliothecam videre cupienti, ex qua tantam scientiam hausisset, Crucifixum suum ostendit Hinc statuta orationi tempora devote impende ac diligenter, idque eo magis quo illa ob litterarum studium angustiora tibi sunt. *Invocavi et venit in me spiritus sapientiæ*, ait Salomon (Sap. VII. 7).

VI. Scias oportet præter orationem plurimum ad scientiam valere mortificationem, quæ præcipue consistit :

1° In vincendo, tempore studii, occurrens tædium, et desiderium studendi tempore non suo. 2° In vin-

cenda repugnantia, quæ te impediret quominus in dubiis tuis interroges professorem vel condiscipulos, aut difficiliores theses impugnes aut defendas, etc. 3° In abnegando proprio judicio, ut professorum consilio et directioni, quoad ejus fieri potest, te accomodes; huic studio, non illi; hic et non ibi. 4° In calcando vanitatem, ut non quærantur hominum laudes, aut excedantur limites modestiæ in eruditione ostendenda, etc. 5° In frangendo propriam voluntatem: primum studium tibi sit, ait P. Caraffa, legere J. C. crucifixum, ex hoc libro desiderium hauries ejus causa patiendi. 6° In temperantia servanda; alias enim hebetior mentis acies redditur. 7° Ut admonitiones et correctiones æquo animo, humiliter et libenter suscipias. 8° Ut dum scholam adis, aut ex ea abis, aut in ea moraris, religiosæ modestiæ exemplo studeas in Domino fratres tuos et externos ædificare.

VII. Operam da ut cor habeas valde quietum, atque a nimio et anxio studendi desiderio expeditum ac liberum. Quod nisi habueris, plurimum te ipsum impedies, actiones tuas propter illam festinationem minus recte perages, et cor ad orationem et familiaritatem cum Deo minus aptum habebis. Quare cum P. Caraffa hanc tibi regulam statuas: « Extra tempora studiis destinata, ita mentem ab iis avertam, ac si nunquam animum ad ea applicuissem; nam et Doctorem Angelicum ferunt sic orasse, ut interea nulla de studiis obreperet cogitatio; sic studuisse, ut nulla de oratione. »

VIII. Cura etiam ut in anima tua virtuti ac religioni principem locum assignes, plurisque eas facias quam litterarum eruditionem, quæ sine illis plus detrimenti quam emolumenti parit. Atque hunc esse sensum Societatis regulæ declarant. Ita fiet ut, quando fieri poterit, tempus optimum rebus spiritualibus consecres, easque exacte, perfecte, ac primo loco peragas, certo tibi persuadens, nihil te propterea de eruditionis incremento amissurum, juxta illud S. Bonaventuræ : « Scientia, quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius invenitur. » (In spec. dis. C. 7.)

IX. In studiis ne sis nimius, perinde ac si impetu violento difficultatem omnem velles superare; talis fervor non durat atque sanctitati et profectui nocet. Si difficultatem experiris, animum ne abjicias; divinæ Providentiæ potius committe omnia, paratus ei servire parva vel magna cum scientia; sic enim servabis animi tranquillitatem; Deique gratia, sine qua nunquam aliqua in re te profecturum putes, in te facilius derivabitur.

Erat P. Lancicio condiscipulus Joannes Maria Campori, postea in India orientali magna cum fama sanctitatis mortuus. Is die disputationis decretorio, non quidem meditationem ipsam, sed preculas quasdam sponte sibi injunctas neglexit; sed repente his verbis de cœlo emissis admonitus est : « putasne te posse sine meo auxilio bene disputare? facilius orando meum po-

test obtineri auxilium quam studendo. » Qua divina voce objurgatus nunquam postea studiorum gratia, quidquam quod ad Deum pertinet omisit. (In vita P. Lancicii C. 6).

X. In studiis omnibusque aliis exercitiis litterariis intentio tua sit purissima. Utrum ea intentione feraris ad studia, his indiciis dignosces : si non intempestive, non nimio fervore, sed devote et cum magna mentis tranquillitate ea aggrediaris ; si nullam propter ipsa orationem ex negligentia omittas, nullam tui Instituti regulam negligas ; si inter studendum sæpe ad lumen æternum confugias ; si post studia oratio et colloquia de Deo tibi sapiant ; si humiliter de te loquaris, totum Deo tribuens ; si te de ingenio, facilitate et plausu non jactes, nec doctrina abutaris ad arrogantiam et contemptum aliorum. Caveas etiam, ne voluptas illa quam rerum reconditarum scientia parit, intentionis puritatem obfuscet.

XI. Si professoris explicationem non statim assequaris, dubium sæpe repetere non erubescas, donec intelligas. Dubio tamen tuo non ita inhæreas, ut reliqua negligas ex quibus fortassis dubii solutio pendet.

XII. Libenter alios juva, si quid prodesse potes ; nihil tibi reserves, ut super alios possis eminere. Interrogatus, fideliter responde, memor te abunde recepturum quidquid caritatis uni ex minimis his a te fuerit exhibitum.

XIII. Ne turberis lectione variorum librorum, thesium defensione et pensorum multitudine; sed cura ut tua bene intelligas aut intuearis. Si tamen dubium habes, professorem aut studiorum præfectum adire poteris.

XIV. In omnibus et ad omnia sis indifferens, paratus ad quævis studia obeunda, aut deserenda; sæpe illa Deo offeras, et numquam incipias nisi præmissa, genibus flexis, oratione et signo crucis munitus. Denique memor semper sis internæ cum Deo conjunctionis.

XV. Non terrearis studiorum labore, etiamsi non statim apparcat fructus quem optares; et si videas alios multum proficere et tibi anteferri, non inordinate contristeris; tali enim tristitia utitur dæmon ut te ad vocationem deserendam deducat. Facias tu quod potes, studiorum vero exitum relinque Deo et memor sis illius, quod ait S. Augustinus : « Nos quod nescire Dominus voluit, libenter nesciamus; satis enim nobis esse debet, quod ille ita velit, ut id libenter amplectamur » : et ideo exerceas te in humilitate, et aliis te libenter postpone; quod Deo gratius erit et Societati majus afferet solatium, quam si omnium doctissimus esses.

XVI. Summo studio ad fraternæ caritatis conservationem intende, cujus causa sequentes fuge defectus :

a. Fovere cum aliquo amicitiam particularem, præcipue quam tota communitas notat. ***b.*** Conari ex sinistro affectu æmulum confundere ac deprimere. ***c.*** Murmurare aut conqueri de professoribus, quod sint nimis prolixi aut nimis breves, quod obscura aut superflua tradant. ***d.*** Opiniones magistri opinionibus contrarias facile amplecti et coram aliis commendare, aut ejus vel alterius damnare sententiam. ***e.*** Exiguum præ se ferre erga magistrum amorem, illumque aliis non obscure manifestare. ***f.*** Dum professor explicat, aliud quid legere. ***g.*** Non abstinere ab acrioribus concionum censuris.

XVII. In disputando memor sis modestiæ et fraternæ caritatis; non sis clamosus, acerbus, iracundus. Imitare P. Bernardum Colnago theologiæ operam navantem, de quo (L. I. vitæ, C. 5.) recensetur : « arguebat equidem ingeniose, premebat fortiter, in consuetis seu domi seu foris ingeniorum scientiarumque conflictibus; sed condiebat acrimoniam tanta dulcedine, ea honoris significatione, suique depressione, ut quem ferire poterat argumenti subtilitas, demissio argumentantis leniter demulceret. Porro quantumvis ferveret docta concertatio, ipse tamen neque asperiore verbo quemquam notabat; semper placidus, sibique non absimilis, qui plus aliis, sibi nihil tribuere consuesset. » Cæterum postquam studiis impendisti debitam diligentiam, fugias potius publicas defensiones quam ambias.

XVIII. Denique si loquendum est cum externis studiosis, non nisi de Deo et pro Deo, aut de rebus ad scholam pertinentibus dissere. Loquere cum gravitate religiosa, oris, vultus, totiusque corporis modestia et simul hilaritate. Nihil eis mutuo des vel ab eis accipias, quin prius mentem Superioris hac de re exploraveris. Paucis talem te in schola exhibe, quales S. Aloisius et B. Berchmans hoc in loco se exhibuerunt.

XIX. Avarus sis tui temporis, semper et ubique profectum aliquem quære sive in humana scientia sive in divina. Sequere hac in re monitum S. Thomæ Aquinatis : « non respicias a quo audias, sed quidquid boni dicatur memoriæ recommenda. Ea quæ agis et audis, fac ut intelligas de dubiis te certifices; et quidquid poteris in armoriolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. »

II.

DOCUMENTA AUREA (1).

—

I. **Observanda erga Deum.**

Esto fidelis et fac quidquid potes, nam semper parum erit, quidquid feceris.

(1) Hæc R. P. Roothaan olim suis discipulis tradidit, cum philosophiam in alba Russia docebat.

1. Respectu ejus majestatis. « *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis : major enim est omni laude.* (Eccli. XLIII.)

2. Respectu ejus beneficiorum. — Singulis momentis innumera accipis beneficia, quorum vel singula tanta sunt, ut nec pro uno quidem vel per totam æternitatem satis esse gratus possis. « *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* » (Gen. XXXII.)

3. Respectu tuorum peccatorum. — Vel pro unico peccato veniali non posses satis laborare et pati, vel si diutissime viveres. « *Non poterit ei respondere unum pro mille.* » (Job IX.) « *Peccatum meum contra me est semper.* » (Ps. L.)

4. Respectu summæ tuæ dependentiæ a Deo. — Innumerabiles sunt necessitates tuæ pro corpore et anima, pro scientia et virtute, pro tempore et æternitate, pro præsenti et futuro, pro te et pro aliis.

In his omnibus ita a Deo dependes, ut sine illo nihil esse, nihil habere, nihil agere possis. Ab illo dependet vita tua, ab illo successus tui et omnes circumstantiæ vitæ tuæ, in quibus ille habet et videt seriem prædestinationis tuæ, ab illo mors, æternitasque tua. Jam vero nec pro minima ejus gratia, nec pro minimo auxilio promerendo satis unquam tu aut laborare aut pati possis. Vide ergo, ut huic tanto Patri ac Domino

sis fidelis, ne illum unquam deliberate offendas, aut per infidelitatem tuam Cor ejus male erga te dispositum reddas.

Porro fidelitatem intelligi maxime velim.

a. In exercitationibus spiritualibus. — Meditatio, ut fiat integre, nihil detrahendo temporis ; — reverenter, corporis situ et mentis applicatione ; — fructuose, cum applicatione ad se, ad vitæ emendationem, ad profectum in spiritu.

Examina, non solum generale sed et particulare, fiant etiam integre, reverenter, fructuose, cum dolore et emendationis proposito, reflectendo præsertim ad causas et occasiones quotidianorum defectuum, ut vitentur : sic nunquam silvescet animus.

Usus sacramentorum : conare ut sit semper quædam quasi renovatio spiritus propter bona desideria et gratiæ divinæ auxilia.

b. In voluntate Dei exsequenda. — Circa obligationes tui status in votis, in studiis, in laboribus a Superiore injunctis, etc.

Circa observationem sanctarum regularum : has nisi magni feceris, nihil proficies (nam in illis habes voluntatem Dei tibi indubitanter manifestatam), sed nec peccata vitabis, nec a ruina eris securus.

Esto fidelis erga Deum : Deus certe erit fidelis erga te, nec deseret te, nisi prius a te deseratur. « *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est, et qui*

in modico iniquus est, et in majori iniquus est. » (Luc. 16. 10).

II. **Observanda erga superiores.**

Omnia uno verbo possumus complecti : considera Christum in Superioribus, et eris talis qualem te vult Societas.

Ad particularia descendendo, debetur Superioribus :

1. Obedientia, non actu solum, sed et voluntate ; secus non erit actus vitutis, ac proinde non satisfiet fini voti. Vovemus obedientiam, quæ impedimenta perfectionis amoveat; at talis non est, quum facimus jussa exteriore actu, interius autem murmuramus.

Talis nempe voluntatis obedientia præstanda in rebus omnino omnibus, etiam difficilibus; nam si in facilibus aut jucundis, quæ illa virtus?

Talis virtuosa obedientia præstanda Superioribus in eorum monitis, etsi non adeo nostræ delicatæ et molli naturæ sapidis, in muneribus et officiis, etsi minus honorificis et commodis injunctis. Porro tende semper ad obedientiam, etiam intellectus, idem sentiendo quod Superior.

2. Reverentia : honorifice de illis sentiendo et loquendo. Et quomodo posses de Christi dictis, factis, dispositionibus male sentire aut loqui? Perinde Superiorum facta omnia ac dispositiones circa te aut alios semper bene explica.

Cave, cave, cave unquam murmures aut murmura-

tores audias, sed tales semper habe suspectos. Qui murmurant contra Superiores, certe non sunt boni religiosi. Et si frequenter faciunt, sunt religionis pestes.

Quare cave, ne hac peste inficiaris.

3. Amor : illis semper adhærendo, cum illis tenendo, desiderando illis in omnibus satisfacere, non propter aliquem respectum humanum, sed propter Christum quem in illis consideras.

Omnes etiam illorum dispositiones amando, ita ut tibi sufficiat quod Superior ita disposuerit, ut sis contentus.

Ama amore vere filiali. Si vero accidat, ut illos aliqua re offenderis aut offendisse te putes, non cape quietem donec illis satisfacias. Hoc vere filiale, et vicissim paternum amorem conciliat.

Cavendum maxime, ne aliquid de hoc amore perdas, quod aliquid quandoque durius injungatur, aut aliquid, quod petieris negetur, aut propter aliquam reprehensionem.

Nunquam admitte istam cogitationem, quasi talia prodierint ex minore affectu Superioris erga te. Hæc enim tentatio diaboli periculosa.

Si aliquid injungatur, quod impossibile videatur exsequi : commenda rem Deo, et si in Domino putes, te non posse, propone difficultates candide ac simpliciter, paratus tamen dein facere, quod jussum fuerit,

quantum potueris. Scito et disce experientia verum esse illud : « *Vir obediens loquetur victoriam.* » (Prov. 21. 28). Obedientia servata facit pacem cordis, meretur auxilium Dei; non servata, inquietudinem animi, diffidentiam de Deo, infinitos defectus, et punitur sæpe inobedientia carnis contra castitatem. Quantam consolationem habebit in morte anima vere obediens!

Denique ut hanc virtutem assequare, sine qua verus Societatis filius esse non potes, 1. considera Christum in Superioribus; 2. parvos in hoc genere defectus magni fac; 3. quidquid in hac parte commiseris, id nunquam omitte in confessione.

III. **Observanda erga fratres.**

« Filioli, diligite alterutrum. » Ita dilectus Jesu discipulus, idque assidue repetebat; quia, aiebat, præceptum Domini, et si hoc servetur, sufficit.

Erga Fratres itaque caritas, sine qua nec discipuli erimus Christi, multo minus socii; nec Christiani, multo minus veri Jesuitæ. — Sed qualis caritas?

1. Sincera; itaque non in exteriore solum specie, non verbis ad humanitatem solum compositis, quæ politica sæcularium urbanitas est, sed vero affectu et verbis se prodat et obsequiis etiam cum suo aliquo dispendio. Nam « *caritas non quærit quæ sua sunt.* » (1. Cor. 13. 5).

2. Solida; fundata scilicet non in carne et sanguine; non in complexione, aut naturali quadam morum con-

venientia, sed in Jesu Christo; ut scilicet ideo fratres diligamus, quia sunt fratres Christi, ejus pretioso sanguine redempti; sit caritas erga illos, nobis a Jesu Christo commendata. Talis si erit caritas nostra, erit constans et universalis: nam nunquam hæc motiva caritatis cessabunt, nec ullus erit unquam, etiamsi nobis nostræque naturæ maxime displiceat, aut etiam inimicissimum se exhibeat, in quo hæ ipsæ amoris causæ non insint.

3. Benigna et patiens; non enim inter Angelos, sed inter homines versaris. Caritatem servare, si a nemine quidquam patiaris, nisi tigrinam quis, non humanam naturam habeat, non est difficile.

4. Tenera; respectu aliorum, tanquam pupilla oculi, quæ minima re læditur. Ita cave vel minima quæque, quibus caritatem lædere posses, et si quid tale accidet, in confessione non omitte.

Sed tamen sit charitas etiam

5. Prudens; « *Estote prudentes sicut serpentes* » (Matth. 10. 16). Serpens totum corpus exponit, at caput tegit, quia in illo vita: ita tu pro charitate nil refugito, at nonnisi quantum conscientia permittit. Charitas non est charitas, si sit cum dispendio salutis aut perfectionis, cum violatione obligationum status ac regularum, aut contra Superiorum voluntatem.

Ama propter Christum et nil facies contra Christum. « Nil ergo fac, ait S. P. N. Ignatius, nil omitte propter

merum respectum humanum, alias nil unquam magni pro gloria Dei operaberis. »

Huc pertinet, ne quæras statim cujusque amicitiam, sed prius prudenter videas, quam bonus sit religiosus : ne conjungens te cum solutioribus, illis similis fias.

Cave, cave familiaritatem et affectum nimium erga quemcunque etiam optimum, si castitatem tuam cupis illibatam servare.

Exempla cujuscunque, si non sunt bona, non imitare : non respice quis hoc faciat, sed magis quid faciat. Hoc magni momenti, ne scandalizeris : neminem judica, at omnes non imitare.

Ne placere velis omnibus. Nam :

a. Hoc impossibile est.

b. Innumerabilium turbationum est occasio.

c. « *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* » (Gal. 1. 10), et quomodo socius?

d. Placere hominibus, non est pax filiorum Dei.

IV. **Observanda erga se.**

Possent omnia uno verbo dici : « vince teipsum » i. e. ne sequere naturæ inclinationem, sed viriliter illi obsiste, sic demum acquires veras virtutes.

« *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* » (Eccli. 18. 30). Quod placet naturali tuæ inclinationi, id vel hac sola ratione sit tibi suspectum. Quod tuæ naturæ et gustui contrarium accidit, hoc certe bonum tibi est, modo ipse velis.

Cave autem maxime :

1. Superbiam, sive in spiritualibus, sive in litterariis. « *Deus enim superbis resistit* (Jac. 4. 6). » Hinc :

a. Non admitte opinionem bonam de te ipso. Si tibi ipsi places, Deo displices.

b. Ne te jacta unquam. « Laus propria fœtet. » « Fac multum, loquere parum » (B. Berchm.).

c. Noli laudari ab ullo ; hoc enim nunquam est utile, semper periculosum, sæpe noxium. Itaque suspectos habe adulatores. « *Populo meus, qui te beatum dicunt, illi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant.* » (Isai. 3. 12).

Effectus superbiæ sunt :

a. Præsumptio.

b. Contemptus aliorum.

c. Inobedientia.

d. Tenacitas judicii proprii.

Pœnæ sunt in spiritualibus :

a. Peccata.

b. Lapsus.

c. Ruina est.

Pœnæ sunt in litteris.

a. Turpes errores, et

b. Aures asininæ.

2. Otium, — unum ex illis tribus, quæ sibi maxime cavenda statuerat B. Berchmans.

Cave illud ; nam valde malum est.

a. In se : Perditur pretiosum tempus, de cujus singulis particulis reddenda erit stricta ratio.

b. Regularum violatio. Adeuntur cubicula aliena, garritur (sæpe etiam de rebus malis), contrahuntur familiaritates, quæ quandoque horrendam adducunt ruinam, dum libera sequitur conversatio, tactus violatur, etc. Diabolus enim non otiatur, tunc maxime.

c. In otio tentationes magis invadunt.

d. Tristitia et melancholia obruunt.

e. Peccata et innumeri defectus fiunt.

f. Ignorantia rerum suarum, quæ faciet ut otium suum, quo in Scholasterio tempus consumpsit, deploret per totam vitam, utinam etiam non per totam æternitatem! Si non habes quod agas, pete laborem a Superioribus.

3. Gulam. Hoc crassum vitium est, et valde turpe in religioso; cum isto communiter nec in spiritu nec in litteris multum proficitur.

Prodit se hoc vitium :

a. Ex modo comedendi immodesto, qui effusionem animi per cibum demonstrat.

b. Ex sollicitudine ut hoc vel illud ad se perveniat, et murmuratione, si quid aliquando desit.

c. Ex colloquiis de cibis, etc.

Hæc ergo cave, et conare semper animo esse indifferens ad ciborum et quantitatem et qualitatem.

Scito porro, si huic vitio indulseris libere, nunquam te fore spiritualem hominem, imo neque castum.

4. Serva modestiam, quæ multa parit et magna bona, quæ immodestia perdit.

Et mortificationes consuetas nunquam omitte ex negligentia; nam licet parvæ sint, valde habent tamen magnas gratias sibi annexas.

III.

INDICIA PROFECTUS

RELIGIOSORUM IN SPIRITU (1).

Hoc unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, et commodi proprii affectione se abstraxerit. (S. P. N. in Lib. Exerc.)

I. Primus gradus spiritualis profectus est peccatorum diminutio. Nam verissime dixit S. Basilius : « impossibile est ut capaces divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes et vitia animas nostras possidentia prius ejiciamus. »

II. Secundus gradus est refrenatio inordinatarum passionum. Istud nos docuit Deus, quando S. Birgittæ dixit : « Amici mei et filii mei præparant Filio meo requiem, non in plumis avium, sed in concordia virtutum et refrenatione malarum affectionum. »

III. Victoria tentationum. Victoria ad hoc refertur : 1° si tentationes non pertrahant ad peccatum ; 2° si nec ad proximum periculum peccati inducant ; quod consequimur, si ipso initio tentationis eam gene-

(1) Ex P. Lancicio. T. 1. op. X.

rose repellimus; 3° si non perturbent vehementer aut inquietent animum.

IV. Extirpatio pravorum habituum. Profectus autem circa diminutionem habituum malorum cognoscitur: 1° si nunc sentimus inclinationem minorem ad peccata, ad quæ antea facilius impellebant nos pravi habitus; 2° si majorem facilitatem experiamur ad resistendum pravis cogitationibus; 3° si generalem nauseam sentiamus adversus peccata, malas cogitationes, imperfectiones quibus propter inclinationem inhærebamus.

V. Quintus gradus est, si proficiamus in modo perfecte operandi, nimirum: 1° si opera nostra non fiant ex consuetudine, sed ob finem supernaturalem prævisum; 2° si fiant sine admixtione peccati corrumpentis meritum; 3° si fiant tam accurate ac si fierent, spectante aliquo, cui natura placere cuperet; 4° si fiant diligentius et perfectius quam antea.

VI. Sextus gradus consistit in incremento bonorum habituum; quod inde dignoscitur: 1° si promptius ac facilius fiant opera bona; 2° si fiant cum minore repugnantia amoris proprii vel naturæ vitiatæ; 3° si fiant cum delectatione majore quam antea; 4° si fiant magis constanter, etiam tempore adversitatum et contradictionum.

VII. Si fiat homo omnino dispositus ad omnia quæ sibi imponentur.

VIII. Si affectus tollatur a mundanis. « Hinc, inquit Apollonius abbas, scietis vos in virtutibus proficere, si nulla vobis fuerit passio erga mundana desideria. »

IX. Si Dei servus ita privatim et nullo spectante, res ad Dei obsequium pertinentes integre et ferventer expediat, quomodo eas expediret Superiore suo cuncta cernente; ac talis sit, ut non tantum serviat Deo, ut multi, sed soli Deo vivat, ut pauci, ac nihilominus, ut ait S. Teresia, sese pessimum credat omnium.

X. Si silentii et vitæ recollectæ eximia sit cura, de qua re S. Bernardus sic habet : « Tanto altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus humanis colloquiis delectatur : nisi forte ejusmodi hominum, in quibus ipse Deus loquitur et per quos verbum Dei auditur. » Tales enim non audiuntur propter se, sed propter Deum qui et habitat et loquitur in ipsis, et cum talibus loquendo a dubiis nostris expedimur, a pravis abducimur et in bono proposito confirmamur.

XI. Postremum, si quis dominium obtinuerit passionum quibus antea valde agitabatur.

IV.

DE CAUSIS RUINÆ

RELIGIOSORUM (1).

—

Qui se existimat stare, videat ne cadat.
(1. Cor. 10. 12).

Ea est mundi hujus volubilitas, tantumque vitæ nostræ mortalis infortunium, ut etiam ii qui Deo serviunt, interdum non sint stabiles, et in Angelis suis Deus reperiat pravitatem, candidique Nazaræi super carbones denigrescant, et qui vescebantur in croceis, amplexentur stercora, et qui stabant, aut stare videbantur, miserrime corruant. Quo infortunio, ne et tu, religiose, involvaris, pervide in his exercitiis causas miserabilium ruinarum in religionibus, et ex religionibus, ut iis perspectis easdem devites.

Prima igitur ruinæ religiosorum in religionibus et ex religionibus causa est, quam adumbravit Christus *in ædificata domo super arenam sine fundamento, cujus ruina facta est magna, postquam descendit pluvia, venerunt flumina, et flaverunt venti* (Matth. 7. Luc. 6). Causa, inquam, ruinæ est, non jactum aut non bene jactum in novitiatu religiositatis fundamentum; non radicatus horror omnis

(1) Ex P. Palowski op. cit. die 2.

peccati, præsertim mortalis; non penitus abstractus a sæcularibus desideriis animus; non inducta mortificationis internæ et externæ aviditas, seu fames et sitis crucis; non impressæ cordi rationes æternæ, non stabilita rerum spiritualium æstimatio; sub exteriori solum modestiola, tanquam sub cineribus dolosis, mundani conservati igniculi, et propter metum perpetuamque tot Superiorum vigilantiam; protractum utcumque tirocinium, ex quo vix pedem miser religiosus extulit, et ecce idem qui fuit ante ingressum religionis comparet, interdumque pejor : hinc sensim sine sensu deterioratur, sæcularescit, ineptus religioni redditur, ac corruit. Si coram Deo, religiose, judicas te non solidum in novitiatu posuisse fundamentum, nec *in petra* ædificasse, sed *super arenam*, adhuc correctioni locus est; optime enim nosti, quid a te requirat Deus, quid conscientia, quid religio, quid Institutum, quid inspirationes Dei.

Altera ruinæ religiosorum causa est, quam Christus objecit Angelo seu Episcopo Ephesinæ Ecclesiæ dicens (Apoc. 2) : *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.* Causa ergo est, recessus a primo novitiatus fervore, seu intepescentia, principaliter ex malo et infructuoso usu orationis ac meditationis orta, dum ad eam præparatio aut non instituitur, aut misere instituitur; dum non suo tempore peragitur, decurtatur, tandemque etiam omittitur. Sic dum in meditatione non exardescit ignis,

noxie tepescit animus, tædium, fastidiumque rerum spiritualium introducitur, vita ipsa religiosa desipit, ad ultimum teporis gradum devenitur, et ruina subsequitur; tepidorum enim tam medicina quam pœna, non est nisi ruina. Cave igitur, religiose, causam hanc ruinæ, atque ita obfirma animum, prout obfirmaverat princeps theologorum nostrorum, P. Franciscus Suarez, qui dicere solebat, se malle totam scientiam suam, tot annis quæsitam, perdere, quam horam unam orandi, consuetam in Societate, intermittere, ut perhibetur in *Vita ipsius, præfixa tomo de Gratia.*

Tertia ruinæ religiosorum causa est præcedenti proxima, et ex ea profluens, quam exprobravit, licet in graviori materia, Jacob Patriarcha filio suo Ruben (Gen. 49). *Effusus es sine aqua, non crescas.* Effusio nempe ad exteriora, et captatio ultronea distractionum, conversationum, solius tædii vitandi causa, ingerendo se in negotia non necessaria, spontanee, non ex obedientia; per talem ad exteriora effusionem dissipatur spiritus, interna negliguntur, in via Dei non sumitur incrementum, nec proficitur; sed tandem deficitur, et peritur, atque in ruinam itur. In quæ mala ne devolvaris, religiose, attende tibi et religiositati : est quod agas circa animam tuam! Æternitatis negotia habes; age quod est muneris officiique tui; cætera Deus non requirit a te. Si cogeris ad exteriores occupationes, commoda te illis, non dona, idque ex

parte solum, et non totum ; tecum autem intus habita, cubiculum ama, et amabit te amator solitudinis Jesus.

Quarta ruinæ religiosorum causa est similis illi, ob quam corruit Lucifer, nimirum appetitus excellentiæ propriæ, defectusque humilitatis, ex quo oritur æstimatio sui ipsius, fuga omnis contemptus et neglectus ; jactatio nobilitatis, doctrinæ, aliorumque talentorum ; desiderium et procuratio eminentiæ, prælationisque supra alios, officiorum honoratiorum, mansionis commodioris ; indignatio dum alii præferuntur, muneribus speciosis applicantur, vel ad res magnas gerendas, ad altiora docenda, etc. ; indignatio quoque ob non habitum sui respectum ob labores suos, etc. Ex indignatione oritur amaritudo animi et insipida vita in religione, et tandem ejus desertio. Ob talem excellentiæ propriæ appetitum corruit olim in provincia nostra, circa annum 1630, quidam qui cum coram generali exercituum duce Koniecpolski concionatus esset, hanc ab eo laudem tulit : « egregius esset prælatus si religioni non esset obligatus. » Hoc encomio audito, Societatem deserere decrevit, allegans inopiam parentum, ad quam sublevandam jure naturæ teneretur. Collegium Cracoviense in eorum sustentationem sexcentos florenos obtulit ; sed ille reperit alium prætextum, asserens, se ante ingressum Societatis fuisse monachum. Ita dimissus, recta Barum ad Koniecpolski Ducem discessit ; ad quem non admissus, id solum responsi tulit, se Patrem

N. Jesuitam nosse et illum amare; alterum vero se non nosse. Sic misere deceptus, ab Episcopo Camienecensi Piasecki aliquod exiguum beneficium impetravit; deinde P. Rectorem Camienecensem adiit, usurus ejus opera in iterata admissione ad Societatem. Re tantisper dilata, in desperationem incidit, et quadam die, dimisso a se famulo, cultrum arripuit, decemque ictibus cum pectus sauciasset, animam efflavit; extra locum sanctum sepultus, qui terram sanctam, Societatem, prælaturæ causa descruerat.

Quinta ruinæ religiosorum causa est, quam exprimit Deus (Oseæ 7), *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit:* nimis libera et incauta conversatio cum sæcularibus. Cum sæculari enim incaute conversantem, sæcularem fieri, certum est. Et quidem interdum ad hanc conversationem deveniunt religiosi ex tædio solitudinis et silentii; interdum autem ex occasione bona, ratione missionum, confessionum, eleemosynarum; sed paulatim contrahitur confidentia, liberior agendi modus, communicatio secretorum, litteræ occultæ, et tandem ruina. Quid tibi, religiose, cum sæcularibus, qui socius factus es Angelorum?

Sexta ruinæ religiosorum, præsertim in et ex nostra Societate, causa est, (ut alia omittam) fortis persuasio, qua putat religiosus se posse salvari extra religionem in sæculo, et quidem ibi se utiliorem fore Ecclesiæ Dei quam in religione, aut ad minimum æque utilem. Hæc est deceptio et captivatio oculo-

rum diabolica. Potes salvari in sæculo, sed propter repudiatum insigne Dei donum et salutis adminiculum, donum scilicet vocationis religiosæ, jure timendum est ne tibi denegentur auxilia uberiora, quibus indigeres ad pericula sæculi superanda et ad salutem tuam operandam. Quis tu es, qui vis ut Deus se tibi accommodet circa vitæ statum, non ipse tu Deo? Putas te fore utilem Ecclesiæ Dei, dum radicem omnis boni, voluntatem Dei, deseris? Putasne lusisse tecum Deum, dum te ad religionem vocavit? Sta igitur in gradu tuo, et non corrues.

V.

MONITA

PRO RENUNCIATIONE BONORUM TEMPORALIUM

SCHOLASTICIS OBSERVANDA (1).

—

Vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. (Matt. XIX. 21).

Quadriennem ab ingressu Societatis bonorum possessionem censuit Congregatio VII. Dec. 17. Scholasticis nostris, juxta ordinationes Patris nostri Claudii permittendam. In cujus temporis prorogatio-

(1) Ex P. J. Dirckinck Hor. exc Inst. III. §. 3.

nem nulli præterquam Generali, idque ex gravi causa, dispensare liceat. Expleto autem quadriennio, modo vicesimum ætatis annum attigerit et in vocatione stabilis persistat, Scholastico bona abdicanda sunt : (ex Reg. 86. Provinc.) quod ut secundum regulas perfectionis et mentem sancti Fundatoris nostri præstet, hæc monita lucem adferent, ne, ut nonnullis accidit, hallucinetur.

Monitum I. Scholasticus, quamprimum licet et potest, bonis suis se abdicet, nec exspectet donec ab aliis exstimuletur. « Non possum capere, scribit P. N. Vincentius Caraffa (*ep. de mediis conserv. primæv. spir.*) quo pacto sæculum tenaci proposito cum familia religiosa mutavit, qui sæculi sarcinam et impedimenta gestit nihilominus circumferre; multo minus qui possit Christo devinctus et cœlo consecratus, terræ libens affigi, et terrenis vinculis gaudere? »

Monitum II. Bonorum autem distributio facienda est, ut præscribit S. P. N. (*c.* 4. *Exam.* §. 1. *et p.* 3. *c.* 1), « primum in res debitas et obligatorias, si quæ » fuerint, et tunc, quam citissime fieri potest, provi» dere oportebit. Si vero tales nullæ fuerint, in pia » et sancta opera fiet, juxta propriam devotionem, et » omnis fiducia submovenda, eadem ulto tempore » recuperandi, » idque juxta consilium evangelicum, quo non dicitur, *da* consanguineis, sed *pauperibus;* ut quod perfectius est, sequatur, inordinatus affectus ad carnem et sanguinem exuatur, et ad eos recurrendi aditus præcludatur.

Monitum III. Itaque Scholasticus bona sua non donet consanguineis divitibus; consilium Christi est : « *Da pauperibus* » (Luc. 18. 22). Unde S. Hieronymus ad Demetriadem scribit : « Si vis perfectus esse, da pauperibus; non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nil aliud consideres in illis, quam paupertatem; laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. » Et S. Bernardus : « Res, ait, pauperum pauperibus non dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. » Atque hæc intellige, quantum citra scandalum fieri potest, citra rixas et inimicitias, inde, ut docet S. Basilius (*reg.* 5.) oriri solitas. Idem habent *Ordinat. gen.* (c. 10. §. 10) : « ut pacis erga omnes et ædificationis ratio potius habeatur, quam commodi ullius temporalis. »

Monitum IV. Quod si vero consanguinei vere sint pauperes et indigeant, juxta ordinem caritatis, cæteris paribus, aliis pauperibus præferendi sunt. Indicat id Ordinatio generalis antea citata, his verbis : Attendatur, an is qui disponit, consanguineos pauperes habeat? Laudat id quoque S. Ambrosius (1. *offic. c.* 30), ita scribens : « Est et illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas: melius enim est, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est sumptum ab aliis deposcere, aut alicui subsidium postulare necessitati : non tamen ut illi eo ditiores fieri velint, quod tu potes conferre pauperibus; neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos

divites facias. » Ita S. Antonius partem bonorum concessit amicis, teste S. Athanasio, et S. Fulgentius matri indigenti.

Monitum V. Si dubitaret Scholasticus, num consanguinei vere essent pauperes, et num majoris perfectionis foret, dare consanguineis hujusmodi bona, quam aliis, propter parem vel majorem ipsorum penuriam; res transigenda est, ad declinandum erroris periculum, ex arbitrio aliorum, scilicet : unius, duorum, vel trium, quos cum approbatione Superioris, renunciaturus elegerit, ut præscribit S. Pater noster in Exam. c. 4. §. 3. Et horum judicio secure stabit.

Monitum VI. Ex mente autem S. P. N. (*p.* 3. *Const. c. I.* 9), « si quis motus sua devotione, vellet bona » sua, vel eorum partem, in Societatis subsidium dis- » pensare, haud dubie opus faceret majoris perfec- » tionis, alienationis et abnegationis universi amoris » proprii, non descendendo tenero quodam affectu ad » particularia loca : quin potius exoptando majus et » universalius bonum Societatis, hoc judicium ei » relinquat qui ejus universæ curam habet, num » applicari huic loco potius, quam illi in eadem » Provincia, debeant; quandoquidem ille melius, » quam quisquam alius intelligere potest, quid conve- » niat et quid maxime urgeat in omnibus ejus locis. » Et ad litt. H. « Nihilominus si in eo propensio animi » ad locum unum potius, quam ad alium cerneretur; » etiamsi judicio Superioris suum submittere vellet,

» certiorem tamen reddere Præp. Generalem poterunt » (Superiores), an sit aliquid hujusmodi imperfectionis » tolerandum; sperando, quod ea cessabit aliquando, » supplebitque divina bonitas, quod ad suam majorem » gloriam et majorem ipsius perfectionem deesse cer- » nitur. » Ita ad verbum S. Fundator.

Monitum VII. Denique Scholasticus Societatis bona sua omnia integre abdicet, nihil sibi reservans. Error eorum, ait P. Caraffa (*epist. cit.*), qui abjiciunt quidem sua, sed ex iis aliquid sibi seponunt; sicque illa volunt Deo consecrata, ut inde sibi partem retineant. Non placet hæc in domo Dei sectio timida et diffidens. Christus apud Lucam c. 18. *omnia*, inquit, *quæcumque habes, vende :* ut nudus nudum Christum sequare. S. Hieronymus *epist. ad Demetriadem :* « Si vis, ait, perfectus esse, non partem bonorum tuorum vendes, sed omnia. » Et S. Bernardus in illud : *Ecce nos reliquimus omnia*, scribit : « Religiosus nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. » Imitetur itaque Scholasticus P. Mauritium de Buren, qui promptissimo animo sua dimisit dominia; et rogatus, num in tam amplis fortunis relinquendis difficultatem experiretur? illico subjunxit : sibi non magis arduam, difficilemque videri istam, sed et bonorum omnium totius mundi abdicationem, quam si pomum puero donasset (*vita ms.*).

Hæc qui servaverit, mentem S. Patris nostri et Societatis in distributione bonorum explebit, et gaudebit in die novissimo.

VI.

MONITA PRO SCHOLASTICIS

ABEUNTIBUS IN ALIUD COLLEGIUM.

.... Manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. (Ps. 138. 10).

1. Quum primum tibi abeundum esse in aliud collegium a superioribus indicatur, Dei sapientiam ac paternam adora providentiam in dispositione tuorum superiorum; et alacri perfectaque obedientia huic te submitte, quidquid obgarriat caro aut recalcitrans natura. Fide enim divina persuasum tibi esse debet, id tibi omnium utilissimum et optimum esse, quod Deus per superiores circa te disponit; prius enim cœli et terra corruent, quam ut tam bonus pater, qualis Deus tibi est, tale quid in detrimentum tuum permittat. Præterea sine Numinis nutu nihil fit sub sole, ne capillus quidem de capite tuo cadet sine Patris tui cœlestis voluntate; multo minus te in locum saluti et perfectioni tuæ adversum mittet; conjice ergo te totum in ulnas tam sapientis et tam providi Patris.

2. Pridie profectionis tuæ in refectorio culpam dicas generalem, veniam pete, et a superiore injungi pœnitentiam humiliter roga.

3. Non e collegio abeas, quin petieris facultatem illas res asportandi, quæ communiter nostris conceduntur.

4. Jamjam abiturus, a superiore pete benedictionem, instructionem et litteras patentes, seu ut vocant, obedientiæ; atque religioso amplexu cæteris præsentibus valedic.

5. Digressurus, a nullo litteras accipias, quin eas dein superiori ostendas; nec eas quas contulisti des illis ad quos sunt destinatæ, sed superiori.

6. In via regulas peregrinorum, quæ ad tuum iter applicari possunt, maxime vero 10^am^, sedulo ac fideliter observa. Imprimis puritati conscientiæ stude, cavendo ab omni vel levissimo peccato aut regularum transgressione, earum præsertim quæ modestiam, pietatem et exercitia spiritualia spectant, et in universum loquendo, apertum profitere virtutis studium in omnibus et per omnia.

7. Quum ad collegium veneris, rationem viatici, expensorum, itineris, superiori redde, et residuam pecuniam ipsi trade, petendo simul facultatem dandi vel accipiendi minima, vel in tuum usum conservandi quæ tecum attulisti.

8. Quando commode fieri poterit, ad patrem spiritualem accede; cui conscientiam tuam statutis temporibus integre manifestare non omittes. Hoc potiori jure de superiore dictum intelligas, si tamen rationem conscientiæ tuæ accipere voluerit. Roga deinde utrumque ut dirigant te plane pro sua pietate, admoneant, reprehendant et puniant prout judicaverint, et dic illis te ex hoc tempore, infantis instar, in paternas eorum manus omnia tua conjicere.

9. Admissus ad alios confratres, te cum simplicitate Dei servum prodas, qui nec regulam nec professionem erubescat, et qui sua vota in conspectu omnis populi reddat. Paucis, ita te gere ut ostendas te locum non animum mutasse; hinc sicut didicisti Christum, ita eum refer moribus tuis.

10. Cum non vigeant in omnibus domibus consuetudines eædem, primis diebus pete instrui de consuetudinibus legitimis et de variis superiorum mandatis; et licet tibi minus arrideant quam ea quæ in alio collegio habuisti, illa tamen in spiritu obedientiæ bene observa. In omnibus et per omnia communitatem sequere, juxta proverbium : si fueris Romæ, Romano vivito more. Hæc tamen de consuetudinibus legitimis et a superiore approbatis dicta intellige, non vero de particularibus usibus, vel potius abusibus, qui regulæ adversentur.

11. Non te sinas exemplo cujuscunque a proposita vitæ ratione abduci; intuere Deum omnium remune-

ratorem, cui uni tuam fidem adstrinxisti. In omnibus respice finem qui unus est: *Volo me sanctum reddere;* ideo enim veni in religionem. Nullius igitur familiaritatem capta, pari esto erga omnes caritate, pari reverentia. Ast etiam noli te fratrum tuorum judicem constituere. Quin potius omnes, quantum fieri poterit, existima bonos ac fervidos religiosos; nec ob leves defectus, quos forte in ipsis deprehenderis, ab hac bona existimatione recede.

VII.

DOCUMENTA PRO SCHOLASTICIS

AD SACROS ORDINES PROMOVENDIS.

1.

De præparatione ad sacros ordines suscipiendos.

—

Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonæ vitæ exemplum præbere. (Imit. Chr. L. IV. C. 5).

I. Zelo flagrantissimo gloriæ divinæ incensus S. P. Ignatius phalangem sibi adjunxit, quæ cum hostibus Dei ubique terrarum congrederetur et ab eorum manibus nobilissimam prædam, animas Christi

sanguine redemptas, eriperet. Idcirco ad Sacerdotium vocamur omnes. Istius autem sacri muneris, angelicis spiritibus non concessi, dignitatem probe intelligens S. P. N., diuturnam præparationem scholasticis præscripsit, antequam ordinibus initiarentur. Itaque juxta ejus mentem, ad tantum onus suscipiendum sese disponant vitæ sanctimonia, dum studiis incumbunt. Quem in finem, quid Sancti de sacerdotali dignitate senserint sæpe animo revolvant. Cogitent quot viri sanctitate conspicui sacerdotium constanter detrectaverint; quos inter eminet S. Franciscus Seraphicus qui, cum animi puritatem in Sacerdote requisitam ipso Domino revelante, sub splendidissimi crystalli imagine conspexisset, sacerdotio initiari semper recusavit, simplexque levita ad mortem usque vivere voluit.

II. « Illi qui juxta Superioris judicium ad sacros ordines erunt promovendi, in ratione Missæ dicendæ, ut præter intelligentiam et devotionem internam, decentem etiam habeant exteriorem modum ad audientium ædificationem, instituantur. » (*Const. p. VI. c. VIII.* §. 2).

Itaque cærimonias omnes ac præscriptos ritus tempestive et accurate addiscant, proponantque sibi aliquoties primis ab ordinatione annis rubricas legere, ne minus probatam consuetudinem contrahant quam vix per reliquam vitam delerent.

III. Cum autem appropinquabit tempus quo Sacerdotio initiandi erunt, diligenti virtutum exercitio ad

rem tanti momenti animum præparent; eo potissimum fine, ut plures et efficaciores gratias a Domino consequantur, quibus adjuti munia sacra majori cum fructu obire possint, ad propriam et aliorum salutem. Gratiæ illæ sacramentales quas, pro fervore sacros ordines suscipientium, concedere solet Deus, sunt : 1° Devotio magna in recitandis Horis canonicis et Sacrificio offerendo. 2° Lumen magnum et practicum in excipiendis exomologesibus. 3° Gratia pœnitentes e misero peccati statu extrahendi. 4° Notabiles in virtute profectus eorum qui ab ejusmodi sacerdotibus in via perfectionis diriguntur, et 5° Quies conscientiæ ipsis a Deo collata.

IV. Ad has aliasque gratias obtinendas disponant se ordinandi per confessionem generalem, ut majore cum puritate dignitatem sacerdotalem suscipiant. Peccata præcipua magisque animum fœdantia, ac virtutum impedimenta serio et efficaciter amoliri statuant, ut animam et corpus instar nitidissimi adamantis aut crystalli exhibeant Majestati divinæ.

V. Ut ad sacerdotale munus sese disponerent S. Ignatius et P. Laynez, Vicentiæ quadraginta dies cœlestium rerum contemplationi, jejuniis, pœnisque voluntariis tribuerunt. Idem eodem fine et tempore S. Franc. Xaverius et Salmeron præstitere ad montem Celsum, in tugurio imbribus et ventis obnoxio, quadraginta diebus divina contemplantes, emendicato pane victitantes, humi in stramine noctu cubantes,

aliisque pœnis corpus affligentes. Similiter P. Lud. de Ponte ad rite suscipiendum ordinem sacerdotalem se menstrua rerum divinarum commentatione paravit studiosissime. Horum vestigia sectentur, exercitia octiduana exactius et ferventius solito peragant, et ad vitam majore cum sanctimonia ducendam se excitent; contra omnes respectus humanos et imperfectorum judicia valde se obarment; insatiabile virtutum, meritorum, operum heroicorum studium in se accendant, ita ut in alios plane viros mutentur et ex iis exercitiis exeant Deo pleni, nihil in omnibus nisi Deum quærentes.

VI. Suscepto charactere sacerdotali, frequentes vivæ fidei, firmæ spei, ardentisque caritatis actus eliciant, ut rite parati ad altare ascendant, primitias Deo oblaturi. Ante et post Sacrum saltem per quartam horæ partem devotionis actibus, iisque ferventissimis insistant; oculos, manus, linguam, quæ potissimum membra circa Sanctissimam Eucharistiam occupantur, ab omni etiam specie mali, incontaminata servent. Denique ut corpora ciborum qualitates participant, ita sacerdotes nostri, toties celebrantes, Christi in Eucharistia existentis virtutes et mores perfecte imbibant et exprimant. Itaque :

Imitentur 1° Perfectam Christi sacerdotum voci obsequentis obedientiam. 2° Ejus humilitatem profundissimam et donorum occultationem, qua amavit nesciri et pro nihilo reputari. 3° Patientiam omnimo-

dam in omnibus injuriis. 4° Liberalitatem, qua omnia Deo offerant. 5° Puritatem eximiam. 6° Sincerum zelum animarum. 7° Purissimam intentionem gloriæ divinæ. 8° Plenam indifferentiam ad occupationes, loca, officia omnia. 9° Denique plenam et integram sui abnegationem.

Quæ si Neomystæ obtinuerint, sese Deo integre immolabunt, vitam sacerdote dignam, id est, perfectam ducent, et præter alia bona et dona eximia, assequentur id quod tum ab aliis Sanctis, tum a S. Gregorio (Lib. 4. Dial. C. ult.) promissum est : « Audenter dico, ait, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem, ipsi hostia fuerimus. »

2.

De recitatione Officii Divini.

—

Pro universo terrarum orbe legatus intercedit apud Deum. (S. Chrys. de sacerd. C. 6).

I. « Quanta ad officium divinum rite persolvendum reverentia et attentio requiratur, » ait Pater Claudius Aquaviva (*Ep. de Off. div. recit*). « præclare omnino Psaltes regius, proposita ipsius Domini, quocum agitur, excellenti præstantia, commonstravit his verbis : *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi*

nostro, psallite : quoniam Rex omnis terræ Deus. Idcirco enim subjunxit, *psallite sapienter.* (Ps. 46. 7. 8). Enimvero cum sic res habeat, ut officium hoc privatim, non autem in choro recitemus ; majorem procul dubio a nobis diligentiam adhiberi necesse est, ut reverentia illa, quam ipse chorus, ipsa ecclesia, et communis multorum consociatio, ipsæ quoque ceremoniæ externæ conciliant, præsidiis aliis compensetur, ut quod hinc deest, aliunde suppleatur. Et eo quidem accuratius, quo proclivius nihil est, quam ut eas ipsas ob causas debita aliqua reverentia, recollectio, et attentio depereat. »

II. Itaque sacerdotes « divinum Officium nitantur » attente, devote et opportuno tempore recitare. » Sacerd. reg. 2. — Celebris glossa, c. *Dolentes de celebr. Miss.* dicit : « Attente quoad officium oris, devote quoad officium cordis. » Ita *P. Petitdidier, consid. XXIX.* Ad utrumque requiruntur nonnulla adminicula :

1. Diligentia in *tempore* convenienti, præveniendo potius quam differendo ; quare statuatur hora fixa, quæ, sine gravi causa, non immutetur. Tempus etiam sufficiens assumendum, ne festinare cogamur.

2. *Locus* et situs corporis is esse debet qui ad devotionem fovendam magis juvet. « Quod ad locum spectat, situm, statumque corporis ; sicuti præscribere non est animus, ut Officium recitetur in sacello, oratorio, aut cubiculo, flexis genibus, aut secus ; (nempe

aliquid indulgendum fatigatis assiduitate studiorum, vel operose alioquin proximi causa laborantibus, sive audiendis confessionibus, sive custodiis adeundis, sive aliis hujusmodi pietatis ministeriis exercendis); ita certe officium persolvere, quasi pensum aliquod indifferens, aperto loco, et salutationibus aliisque distractionibus valde pervio, id prorsus aliter fieri ac deceat, neque ad reverentiam attentionemve conferre quidquam posse, manifestum est. » P. Claudius ubi supra.

3. *Attentio* animi *ad verba*, ut bene, distincte decenterque proferantur; et *ad sensum*, ut cogites quid dicas, quantum potes.

4. *Devotio.* « Si vel mediocri prævia animi præparatione psalmos recitare studeamus, non dubitem, quin mirabiles effectus experturi simus, eumque spiritualem mentis pastum probaturi, ut nunquam officii longitudo satietate nos afficiat, semper autem ejusdem jucunda varietas spirituali dulcedine perfusos dimittat..... Psalmorum affectus (quod recte animadvertit S. Aug.) exprimere nos oportet : timere cum timet Propheta, amare cum amat, laudare cum laudat, plorare cum plorat, postulare cum postulat, et (quod plurimum confert ad necessariam attentionem subinde renovandam) mentem ad Deum extollere, cum ille se erigit..... Ut eo pertingamus, duo requiruntur. Alterum, ut aliquis auctor perlegatur, qui breviter, dilucide, ac spiritualiter litteralem psalmorum sensum

exponat..... Alterum, ut, si quando Deus lumen aliquod elargitus fuerit, vel motum animæ aliquo in versiculo concitarit, locus ille postmodum in cubiculo sæpius expendatur. » (*P. Claudius ibid.*) — « Methodus ad recitandum Officium, sit velut ad meditationem, » ait P. Petitdidier (*loc. cit.*).

« ***a.*** Adveniente hora, animum collige et præpara, cum fide dicens : *In conspectu Angelorum psallam tibi.*

« ***b.*** Prævisis omnibus, recita ex Breviario orationem præparatoriam, *Aperi, Domine, os meum.*

« ***c.*** Præludia adhibe toti Officio congrua, pete gratiam specialem convenientem.

« ***d.*** Psalmos nocturnorum ad tres Personas Divinas seorsim dirige et refer : in lectionibus audi Prophetas, Apostolos et alios scriptores sacros, et Deum per eos loquentem, in responsoriis te Angelis adjunge, in orationibus Ecclesiæ affectus indue, ut minister.

« ***e.*** Inter recitandum, excita in te affectus fidei, spei, et charitatis, gaudii, timoris, ad quos Psalmus et hymnus invitat : in progressu, fervorem intende, juxta gradationem, *petite, quærite, pulsate.*

« ***f.*** Absoluta Psalmodia, reflecte et examina; si bene successit, gaude et gratias age; si minus bene, dole, et veniam pete, fructumque collige, et ad erratorum indulgentiam consequendam, recita orationem : *Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, etc.* »

3.

De SS. Missæ Sacrificio celebrando (1).

Accedat Sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut sanctus, offerat vota populorum ut pontifex, interpeliet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. (S. Laur. Just).

Tria præcipue consideranda sunt : præparatio, celebratio, gratiarum actio.

I. ***Præparatio*** duplex distinguenda; remota scilicet, et proxima.

1° Ad præparationem remotam pertinet reg. prima sacerdotum, de religiosa disciplina præcipue observanda, et tertia quæ dicit : « ita vivere studeant, ut quotidie merito celebrare possint; » et additur : « ad idque conducet sæpius in hebdomada confiteri, quam octavo quoque die, » ut debent omnes. Tria ergo illis commendantur : vitæ puritas et sanctitas, accurata regularitas, et frequens confessio.

2° Ad præparationem proximam pertinet, 1° recitasse Matutinum et Laudes. Si hoc pridie factum est, saltem mane præmittenda est consueta meditatio et,

(1) Ex P. Petitdidier.

si commode fieri potest, etiam Prima officii ecclesiastici; 2° probare te ipsum, cogitando quid sis a te ipso, scilicet nihilum et peccator; quis esse debeas, ut minister Christi et ecclesiæ, *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, ut Christus ipse. Ad hoc recogita peccata tua cum pœnitudine et emendationis proposito, eaque saltem Deo generaliter confitere. 3° Attende ad Christi consilia, ipsumque induens illis cooperare. Præcipuum autem consilium fuit ut esset in Ecclesia Sacrificium Deo dignum et propitiatorium pro vivis et defunctis. Hoc igitur ipsum offer ad Dei gloriam et ad aliquem certum et specialem finem, teque ipsum simul offer. 4° Confer te ad sacristiam tempestive, juxta regulam quintam, ubi, post orationem brevem, lege directorium, in missali omnia prævide et nota; manus ablue, calicem præpara, apposita hostia et purificatorio, vestes sacras indue, orationes præscriptas ad singula diligenter et devote recitando. 5° Opta munditiem corporis et animæ, parem Angelicæ et Marianæ : offer devotionem omnium sanctorum sacerdotum. 6° Ad altare tandem accede sub auspiciis Virginis Deiparæ. « Per te accessum habeamus ad Filium, o Benedicta! »

II. Circa ***celebrationem*** ipsam.

1° Servanda est regula quarta, quæ tria præscribit. *a.* « Cærimonias Missæ ex usu Romano accurate unus- » quisque observet, » quæ proinde didicisse et saltem semel in anno integre legere oportet. *b.* « In ea » celebranda pronunciationem et quamcumque aliam

» exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus » aliorum ædificationi quam propriæ devotioni ser- » viat. *c.* Et ideo semihoram in faciendo sacro nec » multum excedat, nec ita brevis sit, ut illam non » expleat, » quæ tria sapientissime statuta sunt.

2° Omnes cærimoniæ seu verborum, seu factorum duo a te postulant; primum, ut illud Christi sive factum, sive dictum, aut consilium, ad quod singulæ referuntur, recolas et quoad poteris intellectu penetres; secundum, ut illi cognitioni conformes affectus, et voluntatis actus elicias.

3° Et quoniam in Sacrificio una eademque est Hostia, idem nunc Offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum olim in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, ut docet Concilium Tridentinum, sess. 21. cap. 2., animum tuum in omnibus cum summo sacerdote Christo se ipsum offerente unire debes. Passionis ejus et mortis mysteria pie recolens, eosdemque cum ipso actus intellectus et voluntatis eliciens, teque ipsum cum illo offerens.

4° Attentionem et devotionem præcipuam affer in oblatione materiæ, consecratione, adoratione, oratione pro vivis et defunctis, et communione.

III. ***Gratiarum actio*** accurate et ex corde, non perfunctorie et obiter facienda.

1° Recita ex animo canticum trium puerorum, et alias preces præscriptas in ipso reditu, et paramentorum depositione.

2° Genuflexus adora ex intimis præcordiis Christum in te habitantem corporaliter.

3° Divinis ejus operationibus unire, eosdem quos ipse memoriæ, intellectus et voluntatis actus exercendo, ut dicere possis : *vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Galat. 2).

4° Adductis ad eum omnibus potentiis tuis, roga ut dignetur sanare infirmitates tuas.

5° Offer iterum hanc victimam Deo Patri, juxta multiplicem Sacrificii finem, et temet totum cum ipsa.

6° Ora etiam pro iis quibus sacrificium applicuisti, et pro cæteris qui se sacrificiis tuis commendarunt.

PARS QUINTA.

DOCUMENTA

PRO PATRIBUS

TERTIAM PROBATIONEM AGENTIBUS.

DOCUMENTA

PRO PATRIBUS

TERTIAM PROBATIONEM AGENTIBUS.

I.

ORDINATIO

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVÆ

PRO IIS QUI TERTIUM ANNUM PROBATIONIS AGUNT.

—

I. Qui ad tertii anni probationem destinantur, diligenter hæc animadvertant oportet. Primum, illam a B. Patre nostro Ignatio sapienter institutam, et multis Constitutionum locis commendatam fuisse; decretumque, nostros omnes, qui in scholasticos approbati, studia jam sua in Societate absolverint, priusquam ad gradum ulteriorem, seu professorum, seu coadjutorum spiritualium admittantur, in hac ultima probatione sedulo exerceri.

II. Porro finem hujus probationis esse, in plena et absoluta sui ipsius abnegatione ita se cum divina gratia exercere, et cum eadem ad virtutes religioso dignas incumbere, ut fiat homo in vita spirituali perfectus; idoneumque Societatis instrumentum ad animas Christo lucrifaciendas evadat. Cum enim Societatis Institutum homines non solum litteris, sed multo magis vitæ spiritualis profectione conspicuos requirat; ex illa vero assidua contentione, quæ per aliquot annos in excolendo per studia intellectu ponenda est, humilitatis ac devotionis fervor intepescere soleat : necessarium omnino judicavit Beatus Pater, ut absolutis studiis certum aliquod tempus unicuique tribueretur, in quo vires spirituales instauraret; solidarumque virtutum studio et profectu, tanquam necessariis in futurum præsidiis, se communiret.

III. Ad hunc vero finem consequendum duo esse potissimum necessaria. Unum, ut qui ad hanc probationem mittitur, non perfunctorie ad eam transigendam accedat; sed magna cum animi simplicitate et humilitate, ardentique profectus sui desiderio : proponatque sibi, omnino abhorrere ab omnibus quæ profectum hunc possunt impedire; totisque ea viribus amplecti quæ eum ad eumdem adjutura, Superioris judicio videbuntur. Alterum, ut quæ animo ita statuerit, studiose constanterque exsequatur; nihil omnino quod ad profectum in humilitate, ad abnega-

tionem universi amoris sensualis, voluntatis et judicii proprii, et ad majorem cognitionem et amorem Dei conferat prætermittendo : ut cum in se ipso profecerit, melius atque efficacius alios ad Dei et Domini nostri gloriam juvare possit.

IV. Denique cum hæc ultima sit Societatis probatio, atque ita illam Constitutiones vocent; merito sollicitum esse debere unumquemque, ut ad quam initio perfectionem vocatus est, ad eam in hac demum probatione acquirendam omni ope desudet. Justum enim esse, ut quem a suis fructum Societas post labores et sumptus illorum causa impensos, totque adjumenta, tum in purgando affectu, tum in excolendo intellectu exhibita, jure suo exigit et exspectat, eum nunc tandem hoc anno reddant. Hæc igitur illis observanda erunt.

V. In sex Societatis experimentis et aliis similibus, juxta novitiatus consuetudinem, exercebuntur; sumpto initio a spiritualibus exercitiis per integrum mensem.

VI. Orationis tempus idem habebunt quod novitii tum matutinum, tum pomeridianum : et illud præterea quod a communibus occupationibus vacuum propria cuique devotio, re cum instructore communicata, subministrabit : cum is potissimum hujus anni finis sit, ut intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant, quam Societatis operariis necessariam Constitutiones docent.

VII. A studiis omnino abstinebunt. Quare nec novi aliquid videre, nec præterita recognoscere debebunt. Poterunt tamen præter libellos spirituales usitatos, legere aliquos SS. Patres, qui in catalogo recensentur, non eo fine ut conceptus aut sententias ad concionandum decerpant, sed ut devotioni tantum et spirituali utilitati serviant.

VIII. Quo tempore a novitiis exerceri memoria solet, similiter et ipsi aliquid per semihoram ediscant, veluti psalmos, et epistolas S. Pauli, nonnullos ex minoribus prophetis, atque hujus generis alia, prout Instructor consultum in Domino judicaverit.

IX. Ad vitandum otium, et ut cum fructu tempus exigant, distinctas habeant horas, et spatia lectionis SS. Patrum, meditationis, orationis vocalis; utanturque diligenter examine particulari, non solum ad vitia extirpanda, verum etiam ad usum et conservationem virtutum.

X. Intelligant sibi non fore liberum colloqui cum nostris aliunde venientibus, aut cum externis, absque facultate Instructoris; neque expedire ad vitandas importunas distractiones, ut cum aliis etiam, aut inter se indifferenter agant, aut conversentur; sed cum iis tantum quos Superior cuilibet assignabit.

XI. Cum signum datur exeundi vel ad concionem, vel deambulatum, nullus ab accessu cum aliis ad aulam eximatur, ut ibi singulis comites assignentur.

XII. In ministerio culinæ et cæteris corporalibus exercitationibus, omnia præstabunt quæ novitii solent, sive tempus spectetur, quo singula præstanda sunt, sive occupationis spatium quo explenda est. In his vero sic se a præfecto dirigi sinent sicut ipsimet novitii.

XIII. Legent ordine suo ad mensam, in exhortationibus et conferentiis assidui erunt, in omnibus denique communibus exercitiis eam diligentiam adhibebunt, qua novitios non æquare modo, sed vincere studeant.

XIV. Communem recreationem simul omnes sic agant ut, dum ea quæ pios religiosos decent, loqui assuescunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miscere norint quæ pietatem redoleant, et audientes ædificent.

XV. Caveant ne ulla ratione scire satagant, aut conjicere quid ipsis, peracto tertio anno futurum sit, et qua in re Superiores occupare illos statuant; sed cum indifferentia obedientiæ nutum præstolentur.

XVI. Si quando extra horas recreationis a Superiore conceditur, ut in horto relaxandi animi causa tempore aliquo deambulent, singuli seorsum incedent, silentiumque servabunt; et importunis horis per domum non discurrent, sed in suis cubiculis, locisque designatis se continebunt.

XVII. Hanc instructionem et regulas semel saltem singulis mensibus, ac sæpius etiam legant, ut in praxim usumque reducant.

II.

EPISTOLA

R. P. N. VINCENTII CARRAFÆ

AD PP. TERTIA PROBATIONE FUNGENTES.

De virtutibus ultimo probationis tempore præcipue excolendis.

—

1. Quamquam Societatis patribus fratribusque omne spiritualis perfectionis augmentum, juxta ipsorum vocationem, magnopere exopto; mirum tamen in modum benevolentia ferri mihi videor erga Patres, ut aiunt, tertii anni, qui in sacram istam solitudinem concesserunt, ad eas virtutis copias atque arma comparanda, quæ necessario postulat cum via, qua incedere, tum meta, quam pertingere Dominus noster exhortatur. Atque hinc quidem factum est, ut cum præsens non possem, hisce litteris sermonem cum vobis conferre libuerit, in quo aliqua proponerem, ad quæ velim animum peculiari studio advertatis; ut fine perspecto, cujus gratia tertii anni secessus institutus est, illum opportunis adminiculis cœlestique auxilio viriliter assequi valeatis. Quidquid autem dicturus sum, illis ver-

bis S. P. N. Ignatii continetur, quibus ipse in 5. Parte, cap. 2. monet Patres tertii anni, ut « ultimo probationis tempore in schola affectus diligenter se exerceant; » et incumbant præsertim ad gradum faciendum in his virtutibus, nempe « in humilitate, » in abnegatione voluntatis et judicii proprii, atque in » iis, quæ ad majorem cognitionem et amorem Dei conferunt. »

2. Atque ut a prima exordiar, jure meritoque S. P. N. virtutem hanc cæteris præponit. Fundamentum est enim omnium, cum ita comparatum sit, ut ipsa ad cœlestia dona viam sternat juxta decretum ineluctabile in augustissimæ Trinitatis concilio sanctum, ex quo nemini divini auxilii munus conferatur, nisi hac veluti nuptiali humilitatis veste fuerit amictus; quocirca sanctus Bernardus, haud sententiæ dubius, virtutis hujus necessitatem fidei necessitati comparat, inquiens : « opto vos, fratres, et fideles et humiles inveniri, cum utrumque summopere necessarium sit ad salutem : » et hanc affert rationem : « Humilibus enim Deus dat gratiam, cui sine fide impossibile est placere. »

3. Ex hujusmodi virtute altera pendet Societati tam necessaria, quæ in indifferentia circa gradus sita est. De hac autem pauca dicenda arbitror, cum experientia constet, hanc in rem aliquando peccari. In primis igitur talem æquanimitatem ab humilitate efflorescere contendo. Si enim vir humilis se plane dignum existimat,

cui munus omne vel minimum denegetur, et qui omni ignominia vel maxima notetur; cum se tanti pendat, quantum ex se ipse habet, nihilum scilicet et peccatum; qui poterit ita se efferre, ut hunc vel illum gradum pro merito inhiare sibi videatur, ut se in professorum potius, quam coadjutorum album referendum esse ducat, ut ejusmodi præstantia se dicat pollere, quæ talem expostulet remunerationem? Qua quidem in re, quæ ad vitam tranquillitatis virtutisque plenissimam in Societate traducendam plurimum conducit, omnes velim in illa esse sententia, ut quemadmodum in sancta Ecclesia omnes viri justi sunt veluti membra in mystico Christi corpore viventia, non omnes autem eodem funguntur munere, neque eumdem locum obtinent; itemque in statu gloriæ omnes sunt beati ac fulgida membra ad gloriosum Christi corpus pertinentia, non omnes vero eodem modo ac gradu; non secus de mystico Societatis corpore existimandum sit. Omnes itaque tum professi tum spirituales coadjutores sunt apta atque utilia hujus corporis membra, non omnes tamen eodem modo ac loco; et quemadmodum, ut aiebat Chrysostomus, nostri corporis membra, « si non conveniunt in situ, conveniunt tamen in unione in eodem corpore; » ita et in religione, præsertim in Societate, diversi sunt gradus, omnes tamen in idem religionis corpus coalescunt, unam Christi gloriam spectantes. Præterea illud etiam confert perpendere quod ad hujusmodi

erga gradus æquanimitatem non humilitate tantum inclinamur, sed etiam obstringimur voto quod, absoluto tirocinio, nuncupavimus hisce verbis : « Promitto eamdem Societatem me ingressurum, » sicut declaratur in Congr. 7. cap. 32 ubi et hoc additur, quod nisi quis, postquam rationes suas scripto protulerit, dicto audiat superiori, « erit in malo statu, atque a Sacra- » mentorum usu et administratione excludendus » quoniam peccat contra votum, et parendi officio devincitur, etiam si ipsi præceptum non deferatur. Eadem æquanimitas nobis commendatur et præcipitur a S. P. N. in Examine, cap. 8. hoc pacto : « Nullus ex » nostris potest nec debet prætendere nec tentare, di- » recte nec indirecte, potius hunc, quam illum gra- » dum; quin potius perfectæ humilitati et obedientiæ » locum dando, omnem sui curam, ad quod officium » vel gradum sit eligendus, suo Creatori ac ejus no- » mine Superiori debet relinquere. » Hinc manifestum fit, qua ratione nosmet gerere debeamus in gradus acceptatione; spectandum esse scilicet Deum tantum Creatorem, et superiorem, qui ejus nomine illum confert. O quanta tranquillitate animum afficit hæc cogitatio : Deus me hac via arcessit; hoc est meæ prædestinationis consilium, sicut Fundator noster loquitur. « Hæc est via nobis a Deo ostensa. » Itaque » si est Dei via, ab ipso designata, ambulate per eam, » non declinando neque a dextris neque a sinistris, » gradum, qui committitur, lubenti animo acceptantes,

et mentis obtutum in illud defigentes, quod is spiritualis coadjutoris gradus hominibus videatur deterior; nobis tamen integrum est, illum Deo acceptiorem reddere, si majorem virtutem atque amorem erga Deum ac proximos assequemur. Quid refert, professum præstantiores a natura accepisse dotes, si cœlestibus donis ipsum anteit coadjutor? Tunc iste gradus magni est faciendus, cum dotes naturales gratiæ donis respondent : secus enim est professus nomine tenus, quod ipsi quidem non ad majorem gloriam, sed ad argumentum majoris pœnæ comparandum faciet. Atque hanc nactus occasionem silentio non præteream me demirari quædam, quæ hac in re peccantur : dolere nempe et conqueri de gradus dilatione, rationes urgendo quibus compertum fiat sibi injuriam inferri, delationes esse falsas, superiores consultoresque affecto animo gessisse, conjectis culpis vel non teneri, vel eas redemisse; epistolas quoque aucupando a multis privatis viris, qui ipsorum virtutem testentur. Istæ aliæque excusationes et querelæ satis superque ostendunt, quam procul sit ab ipsis humilitas a S. P. N. commendata : qui enim vere humilis est, quemadmodum Chrysostomus docet, hominum honores non solum non avet, sed despectui habet, imo etiam « erubescit, si quis eum sibi præponit; » quoniam mentis oculos cordisque desideria ad verum ac sempiternum cœlestis patriæ honorem convertit, neque reputat quisnam sibi gradus in Societate obtingat, sed quodnam gloriæ culmen ipsum in cœlo maneat.

4. Humilitas autem non circa gradus tantum, sed etiam circa munera obeunda indifferentiam gignit, et semper ad humiliora, demissioraque atque hominum sententia viliora munia inclinat. Si virtus hæc excoleretur, quam facile foret Societatis regimen! Non inveniretur profecto, qui misceret questus de concionandi loco, tamquam suarum lucubrationum meritis minime respondente, de humili ludo, de gubernio, quippe non illustrium collegiorum; unde innotescit superbiæ motus nondum esse edomitos. Superbus, ut ait angelicus doctor, « credit omnia sibi deberi pro suis meritis, et propter illa se magnificat : » quocirca haud mirari debemus, si in primis peccantes principiis falsa conficiant consectaria, omni virtuti, omnique religiosi status decori multum adversa. Finem hujus rei faciam humilitatis usum exhibendo, quem B. Borgia secutus est, quique in proprio erga nos amore perdomando versatur. Firmiter ille persuasum habebat, non aliam, quam inferorum sedem domiciliumque sibi esse, dicens : « *Infernus domus mea est :* » et in rebus omnibus, quæ ipsi adversa acciderent, in ædem sibi apud inferos paratam oculos deflectebat, exindeque id luminis, sapientiæque statim hauriebat, ut quidquid pateretur, nihil duceret præ iis quæ merebatur. O nos felices, si tam salutarem doctrinam exercuerimus! In summis ærumnis summam reperiemus felicitatem, ex tenebrarum domo veræ lucis fructum capiemus. Et hæc sufficiant de prima vir-

tute, nempe de humilitate; accedamus ad secundam, quæ in proprii amoris, aliorumque animi motuum oppugnatione continetur.

5. In sacro secessu tertii anni diligentissime dispiciendum est, quonam ordine, quave regula nostræ affectiones temperentur : num ex omnibus aliqua dominetur, aut plus nimio rationi obnitatur. S. P. N. tanquam primum documentum suis tradebat, ut, quidquid agerent, « semper ratione uterentur, » atque omnis cupiditâtis expertes rationis lumine procederent. « Nemo malum quasi malum amat, sed imagine fallacis boni deceptus. » Atque hoc quidem rationis lumen, quod nostras affectiones moderari debet, non solum humanum, sed etiam christianum sit oportet, superiori fidei lumini subjectum : ratio enim ex se deficere potest, nisi juvetur perficiaturque potentissimo Dei lumine, qui auctor gratiæ est. Exstat voluntas nostra quasi regina in regno animæ atque ad gubernandum recte et sine errore, intellectus ac fidei, non sensus et cupiditatis consilium sequi debet. Hoc ipsum docet S. Augustinus tanquam modum ad vitanda peccata efficacissimum, dicens : homines intelligite : scilicet; ne potior sit sensus una cum cupiditate, sed intellectus cum recti honestique consideratione; intelligite quam turpe sit, cæcis animi motibus parere, quam honestum sit, ratione duci; intelligite quam caduca ac brevi duratura sint bona, quæ spondet cupiditas; quam præclara ac firma ea, quæ ratio et

fides promittit; intelligite quantum ægritudinis sub voluptatis specie lateat, et quantum dulcedinis in recti honestique exercitatione percipiatur. Sed ad tertiam virtutem veniamus, a S. P. N. propositam Patribus tertii anni, quæ in propriæ voluntatis deditione sita est.

6. Verba hæc sententiasque materiæ accommodatas vellem, ut in vestris mentibus rei hujusmodi momenta necessitatemque defigerem. Sat erit dicere, obedientiam eam esse virtutem, ad quam nos Deus in Societate vocat, jubetque nostros illa multum excellere. Est autem animadvertendum, Deum non in quacumque obedientia delectari, sed in ea quæ nostri Instituti propria est, quæque tres alias virtutes in Societate postulat, quas theologales appellant, fidem, spem et charitatem. Fide enim agnoscere debemus Christum sub persona superiorum; spe fidere imperantis Christi potentiæ; charitate autem obedire, ut Deo placeamus eique morem geramus. Obedientia igitur in Societate, ut sit hujusmodi, fide illustrari, spe muniri, charitate erigi atque inflammari necesse est. Curnam, quæso, fit, ut plerisque perdifficilis evadat obedientiæ exercitatio, præsertim in rebus contra proprium arbitrium capessendis? Ratio in promptu est : quia aliis non pollent virtutibus, quæ cum obedientia nectendæ sunt. Cum mandat mihi Superior, ut potius hoc, quam illo fungar munere, in hoc, non in illud collegium concedam; si fidem statim animo agitavero, mecum repu-

tans mandatum illud a Deo proficisci, ita Christum jubere; si spem erexero, Deum non destituere, sed vires operi opportunas suppeditare, pro comperto habuero; si charitatem excitavero, mandatum illud amoris Christo rependendi ipsiusque gloriæ causa prosequi enitens; profecto hoc pacto talibusque adminiculis omnis ex obedientia labor arcebitur, et virtus istæc omnibus erit absoluta numeris, nostræque Societati apprime conveniens. Multa adhuc de virtute ista dicenda haberem; sed vestra diligentia ac perfectione fretus, non alios vobis stimulos admovendos esse in rem hanc existimo. Ad quartam gradior virtutem, item a S. P. N. commendatam, quæ est Dei cognitio.

7. Dubitari nequit, quin ex ista cognitione spiritualis vita exordium sumat, in ipsaque desinat; quapropter velim, ut omni studio constanterque ad illam adipiscendam pro se quisque incumberet nunc temporis, de amplitudine Dei opinionem æstimationemque quam fieri potest maximam concipiendo, divinas ipsius dotes revolvendo contemplandoque, præsertim illa terna veluti diademata, quorum primum potentiam, sapientiam et bonitatem, alterum infinitatem, æternitatem atque immensitatem, tertium pulchritudinem, jucunditatem et magnitudinem Dei complectitur. In qualibet ex his dotibus tamquam in interminato lætitiæ pelago anima demergitur, ubi degit pacis et tranquillitatis plenissima. Cum sublimi de Deo opinione, infima

conjungitur, quæ de rebus creatis habenda est; atque in hisce sententiis. sicuti in duobus polis, fundamenta locat totum Christianæ perfectionis ædificium. Hac animus doctrina imbutus, alacer atque expeditus in virtutum exercitatione progreditur, atque inter cætera vera spiritus libertate potitur, quæ in eo consistit, ut non humanis sed divinis tantum judiciis moveamur. O utinam libertas ista, quemadmodum par est, Societatis filiis inderetur! Quandoque usuvenit ut propriæ famæ æstimatio apud aliquos magni ponderis sit, apud alios vero consilium viris amplissimis obsequendi, atque alia ejusmodi ex tenui de Deo cognitione atque æstimatione dimanantia. O quanta lætitia perfunderer, si hoc propriæ famæ simulacrum a Societate prorsus exterminaretur, et si nostrum honorem famamque eumdem ac Dei esse, et cum Deo gloriam parimus nobis perinde parere, duceremus. Verissimum est in rem hanc effatum S. Chrysostomi : « Nemo læditur nisi a se ipso, » ob peccatum nempe, quod solum potest dedecorare et nocere. Cur igitur dicamus non posse aliquando parere propter famæ detrimentum? Ecquis non videat hunc loquendi modum humanam profanamque stultitiam præ se ferre? Ut hoc caveamus, opus est in cognitione Dei versari, maximam admirationem æstimationemque de Dei majestate et excellentia concipere, in ipsa Divinitate Dei ambulare; ex lumine enim divinæ præsentiæ omnes humanarum opinionum umbræ timoresque discutiuntur.

8. Ex Dei cognitione fit gradus ad amorem, quæ virtus ultimo loco a S. P. N. vobis commendatur. Scio equidem multas esse vias multasque rationes, quibus hæc virtus coli possit; et aliter alios illam exsequentes esse sanctos : aliis autem maxime consentaneum videtur, quod a S. P. N. proponitur P. 8. cap. 1. n. 26, et in Summario Constitutionum relatum est, nempe : « Omnes rectam intentionem habere studeant circa » res omnes particulares; » intentionis autem origo debet esse amor Dei : « id in eis sincere spectantes, » ut placeant divinæ bonitati propter se ipsam. » Itaque ex regula adstringimur singulis in rebus actu vel virtute ad amoris actum erga Deum eliciendum, hoc vel alio modo aientes : « fiat hoc ob amorem Dei, et » ad gloriam Dei. » Et jure quidem prudentia postulat ut cum Nostri in multis actionibus suapte natura indifferentibus versentur, ut sunt studendi labor et consuetudo cum proximis, id genus actiones prope divinæ et præmio dignæ, in Dei amorem intuendo, efficiantur. Atque hæc innuisse sit satis in aperienda S. P. N. sententia de tertii anni secessu.

9. Postremo finem faciam his litteris illud animadvertendo, quod sicut hujus probationis finis est ultimam manum Societatis alumnis imponere, ut digna fiant S. Spiritus instrumenta, in animis lucrandis missionum ope; ita apprime convenit, omnes de hac sancta exercitatione atque apostolico munere recte ac propense sentire, et decernere, ubi sinat obedientia,

in illo totam vitam impendere; simul persuasum habentes, hoc modo proprii Instituti obligationi satis ipsos facere, vocationis gratiæ allaborare et fieri legitimos filios atque hæredes spiritus, quo primi Patres nostri afflati sunt : quemadmodum enim hi missionum præsertim ministerio faustum felixque exordium Societati moliti sunt; ita nostrarum partium est eodem munere ac labore illud tueri ac propagare.

Vestris Sacris precibusque me commendo.

Servus in Christo.

VINCENTIUS CARRAFA.

PARS SEXTA.

DOCUMENTA

AD EXERCITIA ANNUA

RENOVATIONEM VOTORUM

ET RECOLLECTIONEM MENSTRUAM

PERTINENTIA.

DOCUMENTA

AD EXERCITIA ANNUA, RENOVATIONEM VOTORUM,

ET RECOLLECTIONEM MENSTRUAM PERTINENTIA.

I.

ADJUMENTA

PRO EXERCITIIS ANNUIS.

Monita.

I. Ante exercitia Patrem spiritualem adi, ab eo pete quosnam defectus emendandos habeas, totoque exercitiorum tempore ab ejus ductu ne recede.

II. Ne imparatus exercitia aggrediaris, pridie ad illa te dispone, quapropter : a) pro meditatione matutina talem elige materiam, quæ ad excitandum exercitiorum desiderium sit idonea. b) commoda aliqua hora exercitiorum finem attente considera, et cui defectui potissimum sis obnoxius, et qua virtute maxime indigeas, attente dispice. c) Lege in *Directorii proœmio* N. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, et Cap. II. N. 1, 2, 3, 4, 5.

III. Toto exercitiorum tempore præ oculis semper habe eorum finem, qui in eo situs est, ut homo vincat seipsum et ordinet vitam suam, non determinando se ob ullam affectionem quæ inordinata sit. Ideoque in meditatione, oratione, lectione, etc. non tam spiritualem consolationem, quam solidum profectum quære, qui in vera morum emendatione, passionum edomatione, et virtutum consecutione consistit.

IV. Quam deinceps vivendi rationem, et tui muneris juxta regulas obeundi sis secuturus, quæ pœnitentiæ opera certis temporibus exercere, quid in examinis particularis materiam assumere, quid in ordine diurno melius observare velis et debeas, mature decerne.

V. Num quid in supellectili, in vestibus, in libris vel in reculis superflui habeas, diligenter inquire, et si quid inveneris, statim a te remove, omnemque rerum usum sola necessitate metire.

VI. Absolutis exercitiis mox incipe cognitos defectus exstirpare, et concepta proposita exsequi; teque talem ubique exhibere, ut manifeste in te appareat exercitiorum fructus.

VII. Insequenti tempore, ne in teporem relabaris, sedulo cura : quare annotata proposita sæpe relege; meditationes, quibus te maxime inflammatum sensisti, subin per annum repete, præsertim quæ sunt de fine hominis, tum particulari, tum generali, de morte, judicio particulari, de malitia peccati, de regno Christi,

de duobus vexiilis, de tribus classibus, de tribus modis humilitatis, de amore spirituali, de vocatione, etc. Præterea recollectiones statis temporibus diligenter institue, aliaque ad fervorem servandum adhibe media; quo fiet, ut de virtute in virtutem eas, et ingentem tibi meritorum thesaurum compares.

VIII. Quod si interdum in anni decursu deprehendas te a propositis tuis recessisse, ne idcirco animum despondeas, sed renovata bona voluntate et in Deum fiducia, novo animo incipe; et hoc pacto naturæ inconstantiam paulatim superabis.

Examinis particularis materia

TEMPORE EXERCITIORUM SPIRITUALIUM.

1. An tædium et teporem, si occurrit, strenue excussi?

2. An omnem dissipationem sedulo fugi?

3. An silentium stricte observavi?

4. An a risu abstinui?

5. An modestiam præsertim oculorum observavi, præcipue dum in publicum prodeundum fuit?

6. An puncta meditationis attente audivi?

7. An vespere post cubitum ante somnum cogitavi breviter de tempore quo surgendum erat et de meditatione facienda?

8. An expergefactus, exclusis aliis cogitationibus,

de eadem cogitavi, et illa mihi proposui quæ in præludiis proposita erant?

9. An immediate ante meditationem animum paulisper ad Deum elevavi?

10. An in meditatione servavi decentem corporis situm?

11. An totum tempus in meditatione explevi?

12. An serio et constanter animum applicavi?

13. An in colloquiis præsertim reverentiam et fervorem adhibui?

14. An feci reflexionem post meditationem attente?

15. An lumina et proposita breviter notavi?

16. An cogitationes meditationi conformes fovi, et alias licet pias exclusi?

17. An non legi res non pertinentes ad meditationem, aut de futura meditatione curiose inquisivi?

18. An difficultates occurrentes aperui?

II.

EXPLANATIO INSTRUCTIONIS.

AD REDDENDAM CONSCIENTIÆ RATIONEM.

I. Rationem conscientiæ Superiori reddendam ad substantialia Instituti nostri pertinere declaravit Congreg. V., decr. 58.

II. Obligatio reddendæ rationis conscientiæ omni-

bus et singulis novitiis proponenda et explicanda est. Quicumque enim hanc Societatem... sequi volet, et in eadem... manere.... debet conscientiam suam magna cum humilitate, puritate et charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata. »

Reddenda autem est ratio conscientiæ ab omnibus, etiam professis, temporibus ab Instituto nostro constitutis provinciali sub visitatione domus vel collegii, et Superiori domus sive Rectori, vel, cui a Superiore fuerit constitutum. (Exam. gener. c. IV, N. 31-41., Const. P. VI. C. I. N. 2. Summ. Const. reg. 40., Reg. Comm. 4.)

Declaravit P. Carafa anno 1648 Graduatos, i. e. professos et coadjutores formatos, teneri reddere rationem conscientiæ Superiori locali, licet eam reddiderint Provinciali sub visitatione. Et hanc declarationem suam fecit R. P. Roothaan anno 1847 in Cong. Procuratorum Romæ.

III. Ratio conscientiæ redditur, « ut Superioribus subditi omnino perspecti sint : quo melius regi et gubernari, et per eos in viam Domini dirigi possint. (Exam. gen. c. IV. N. 347). »

S. P. N. Ignatius in Exam. gen. c. IV. N. 35. triplicem enumerat utilitatem sive bonum per rationem conscientiæ obtinendum.

Primum bonum, unice ad subditum pertinet, illudque immediate intenditur ; scilicet, « quanto exactius

» Superiores res omnes internas et externas suorum » noverint, tanto majori cum diligentia, amore et » sollicitudine juvare eos, ipsorumque animas a variis » malis, et periculis, quæ in progressu possent acci- » dere, conservare poterunt. »

Ratio gubernandi in Societate paterna est et libe- ralis : « in prælatione sua (Præpositus) benignitatis » ac mansuetudinis, charitatisque CHRISTI. Petri, » Paulique formulæ semper sit memor » (Pauli III bulla prima : (*Regimini militantis Ecclesiæ).* Ipse fert præ se dilectionem et curam subditorum... « ita ut subditi se potius ad dilectionem majorem quam ad timorem suorum Superiorum possint componere » (Constit. P. VIII. C. I. G.). Superiores igitur volunt gubernare quia diligunt; vicissimque et ob eamdem rationem subditi volunt gubernari. Sed quemadmodum scribit R. P. Oliva « Societas nostra duplici gubernationis genere regitur : alterum externum est, alterum internum... neque autem in dubium revocaverit quispiam interiorem gubernationem, (quæ fit cum subditi in humilitate ac veritate omnes conscientiæ latebras Superiorum suorum oculis sincere subjiciunt, et Superiores vicissim divinæ charitatis amore incensi paterne subditos dirigunt), esse Instituti nostri animam, verumque spiritum intus universa volventem. » (Epist. 9 Febr. 1669).

Secundum bonum per rationem conscientiæ obtinendum ad subditum immediate, mediate ad Societa-

tem pertinet. « Ut melius secundum Dei voluntatem » missiones fiant, his et non illis mittendis, vel his ad » hoc munus, illis vero ad alia; non solum refert » valde, sed summopere ut Superior plenam habeat » notitiam propensionum et motionum animi, et ad » quos defectus vel peccata fuerint vel sint magis » propensi et incitati, qui sub ejus cura sunt : ut ejus » rei habita ratione, melius ipsos dirigere possit; nec » supra mensuram virium suorum in periculis, vel » laboribus gravioribus, quam in Domino ferre pos- » sint, constituat. » *Ibid. Exam. gen.* Hæc est divina dispositio, ut homines per homines regantur. Cum igitur qui ad religionem accedunt, bonam intendunt inire viam, illo medio quo bene dirigi possint utantur necesse est.

Tertium bonum ad corpus Societatis pertinet immediate, et mediate tantum intenditur : « Ut (quæ audit, sub secreti sigillo custodiendo) melius Superior possit ordinare, ac providere, quæ corpori universo Societatis conveniunt. » *ibid.*

IV. Liberum relinquitur subdito « conscientiam » suam manifestare sub sigillo confessionis, vel se- » creti, vel quacumque ratione id ei placuerit, et ad » majorem ipsius consolationem fuerit. » *ibid.* 36. Ex declaratione Congr. XII, decret. 15. « Secretum illud adeo religiose servandum est, ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiæ fuerit, quidquam eorum, quæ illi de seipso quis manifestat, ulli omnino, nec

Generali, nec Provinciali unquam revelare, vel etiam innuere; nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit, expresse consentiente. »

V. Modum in ratione conscientiæ reddenda sequendum, ex commissione Congr. IV decr. 40, præscripsit communem toti Societati P. Claud. Aquaviva; et inscribitur in libello regularum : *Instructio ad reddendam conscientiæ rationem juxta morem Societatis.*

VI. Proœmium hujus instructionis est diligenter considerandum, et incitamenta quæ ibi adducuntur a primis vitæ religiosæ exordiis cordi in perpetuum imprimenda sunt : ex affectu enim erga tam eximium adjumentum praxis appositæ certa pendet utilitas.

VII. Quod jam ad praxim attinet : 1. Conscientiæ status sedulo perspiciendus est, ut sciatur quis revera sit : porro aliqua calamo notentur, quorum ope vita tota ab ultima ratione conscientiæ, quasi in speculo conspici possit. 2. Deinde hunc conscientiæ statum, verbo aut scripto, aperiat subditus quin exspectet donec interrogetur. 3. Id autem faciat cum *puritate*, id est, re nulla retenta, sicut quando aqua ex vase effunditur : — Cum *humilitate*, i. e. vincendo se generose ubi aliquis confusionis sensus suboriretur, imo gaudendo quod occasionem hanc nactus est satisfaciendi pro debitis suis, et propius accedendi ad crucem Domini. — Item cum *humilitate*, i. e. deponendo propria sua sensa et exquirendo apud Superiorem quid deinceps sit agendum. — Cum *charitate*, videlicet

sine perturbatione timoris. Agat ut filius ingenuus agit cum patre; agat in spiritu fidei, quo Deo se aperire intendat, dum se manifestat vicario ejus. 4. Postea-quam dixit, audiat, sequendo S. Spiritus monitum : *inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus... omne quod tibi applicitum fuerit, accipe.* (Eccli II. 2. 4.)

I. Punctum. *An vivat contentus juxta suam vocationem?*

Contentus dicitur ille qui magni æstimat quod est vocatus ad Societatem, et quidem in gradu, loco, officio in quibus constitutus est. « Hic igitur examinet unusquisque utrum vivat juxta id quod postulat vocatio, et an vivendo tali modo sit contentus, seu an omnia quæ sibi ob vocationem suam adveniunt libenter admittat, velit, et omnibus aliis anteponat, etsi forsan sensus repugnantiam experiretur? »

II. Punctum. *Quomodo se habeat, etc.* — Hujus quinque sunt partes :

1. *Quomodo se habeat circa obedientiam, etiam intellectus :* quomodo obediat executione, voluntate, judicio? An prompte, alacriter et propter Deum obediat? An voluntatem Superioris cujuscumque etiam subordinati, quovis modo cognitam, suam faciat, illamque integre et perfecte exequatur? juxta regulas Summ. 31-39. Quod autem ad intellectum spectat, an Superiorum mandata interdum contemnat? An ea ad crisim revocet, tum apud semetipsum, tum coram

aliis? An obmurmuret cum aliis? Quas putet esse causas istius difficultatis quam patitur in obediendo? An ex superbia, qua fit ut ægre se subjiciat? An ex amore sensuali, quia molestum est quod præcipitur? An demum aliunde?

2. *Circa paupertatem.* An quærat vel habeat superflua? An pulchriores appetat vestes, viliores horreat? An aliquid sine Superioris facultate sumpserit vel dederit aliis? An in usu rerum sibi concessarum aliquid proprietatis immiscuerit? An afflictionem sentiat, si experiatur paupertatis effectus, et qua de causa? An in hac virtute acquirenda conatum intenderit?

3. *Circa castitatem.* Cum S. P. N. Ignatius angelicam castitatem a nobis requirat; ideo si circa ullum punctum, hic profecto candide et aperte reddenda est ratio conscientiæ. Igitur exponendum est quomodo se quisque sentiat affectum erga hanc virtutem, quas experiatur difficultates, seu interiores, seu exteriores, quæque sint illarum causæ; et quæ ad eas superandas remedia fuerint adhibita. *Nota :* R. P. Mutium Vitellescum an. 1629 rescripsisse etiam cogitationes mortales, saltem in genere, aperiendas esse.

4. *Circa usum aliarum virtutum.* Æquum est ut religiosus suis attendat operibus, ne illa forte ex consuetudine obeat, et non ex motivo virtutis; utque ultro oblatis imo et quæsitis occasionibus sedulo utatur ad exercendas varias virtutes christiano et religioso viro dignas. Dicendum hic an et quantum quis profecerit in exercitio illarum virtutum?

5. *Quarum præcipue studio sit intentus?* Duæ potissimum causæ existunt cur ad hanc potius quam ad illam virtutem acquirendam incumbamus, scilicet : 1. Quia ea nos magis indigere credimus : hoc autem cum Superiore communicandum est, ne decipiamur, dum forte alia virtus nobis magis est necessaria. 2. Quia ad eam nos magis propensos sentimus, sive hæc propensio veniat ab indole nostra, sive a gratia Spiritus sancti : hoc etiam Superiori declarandum est; ipsius enim est judicare quid nobis ad profectum spiritualem, secundum Dei voluntatem, conveniat. Aperiendum est etiam quæ media fuerint adhibita, et quo fructu.

III. Punctum habet quatuor partes :

An sentiat aliquas animi perturbationes?

An tentationes molestas?

De facilitate, seu difficultate, et modo eis resistendi?

Ad quos affectus, vel peccata sit magis propensus et incitatus?

Num passiones ita vehementes sint, ut vix aut ne vix quidem possit intellectus de honesto recte judicare? Aperiendum est utrum perturbationes ac tentationes molestas quæ animi pacem impediant, sentiat; quibus mediis ad eas superandas uti soleat. An utatur mediis quæ proponuntur in libello exercitiorum, in regulis, aut quæ ipsi a Patre spirituali vel Confessario indicata fuerunt?

Tentationes graviores hæ solent esse :

1. Fuga laboris, et gravis quidam animi sopor et insensibilitas ad pericula et damna spiritualia.

2. Amor excellentiæ, seu honoris mundani, ex quo, si forte ab aliis non magni fiat, oritur impatientia, animi dejectio et invidia; si autem magni fiat, nascitur aliorum contemptus et intolerabilis mentis tumor.

3. Amor nimius externarum occupationum; quæ mentem multum distinent et efficiunt ut animus non coercitus in loquacitatem, curiositatem, jocos, nugas et scurrilitates diffundatur, in quibus unice fere delectetur.

4. Amor corporis et commoditatum; ex amore sensuali nascuntur particulares amicitiæ, quæ causæ esse solent inquietudinis animi, oblocutionum, querelarum, conventiculorum, etc.

5. Iracundia, ex qua exsurgit aversio ab aliis, amaritudo animi, omissio consuetorum officiorum, etc.

6. Melancholia, scrupuli et arcta nimis conscientia.

Quod vero dicitur *in quæ peccata sit magis propensus*, sciendum et bene notandum est, nequaquam sufficere in ratione conscientiæ aperire tentationes et inclinationes, sed etiam aperienda esse actualia peccata et cogitationes peccato mortali coinquinatas (licet non eo cum rigore quoad speciem et numerum sicut in Sacramento confessionis exigitur) atque etiam casus reservatos, licet ab iis quis jam rite absolutus fuerit; hoc enim requirunt verba regulæ 40, Summ.

Const. *Re nulla qua Dominum universorum offenderit celata*, et sine harum cognitione subditum non nosceret Superior, nec posset eum regere, quæ tamen potissima est reddendæ conscientiæ rationis causa. Hoc autem intelligitur de peccatis et defectibus ab eo tempore commissis quo postremo ratio conscientiæ reddita est. Liberum tamen relinquitur subdito, ut id faciat sive intra, sive extra confessionem.

IV. Punctum. *An contra Constitutiones... disputaverit.* Quamvis rara sit contra hoc punctum difficultas alicujus momenti, tamen etiam leves motus, præsertim si sæpe recurrunt, aperiendi sunt : præcipue si directe sunt contra Institutum : ut de graduum diversitate, de Societatis gubernatione, de manifestatione, sive per se sive per alios, de se aut de aliis, facienda Superioribus etc.

V. Punctum. *Quid sentiat de Instituto Societatis, mediis quibus illa utitur... et quem experiatur in se zelum animarum?*

An crescendo in amore Dei, desiderio flagret, perfectionem, quam Institutum a nobis requirit, acquirendi, ut instrumentum evadat quo Dominus utatur ad revocandas ad se peccatorum animas. Illi qui nondum ex officio circa proximum occupantur vix alios zeli effectus experiuntur atque internos : puta crebram oblationem sui, directionem studiorum, etc. ad hunc finem ; qui vero jam aliquas functiones circa proximum exercent, videant, quam strenue iis se impendant ex

regularum suarum et obedientiæ præscripto, cum detrimento ubi opus est sanitatis, honoris, famæ; videant quam remoti sint ab omni studio amoris proprii, item an prætextu sanitatis minus agant quam possent?

VI. Punctum. *Quomodo spiritualibus rebus sit affectus etc.*

Quinque in hoc puncto habentur: 1. *Qui sit affectus ad res spirituales.* 2. *Quantum temporis eis tribuatur.* 3. *Num oratione mentis, an ea quæ voce fit magis juvetur.* 4. *Utri plus temporis tribuat.* 5. *Quem modum in orando teneat.*

Affectus ad res spirituales, si perfectus est, tria solet includere:

1. Æstimationem summam rerum spiritualium.

2. Sollicitudinem ne quid omittatur.

3. Animi ardorem, quo toto conatu ad omnes actiones spirituales voluntas feratur, ut ex integro se et vires omnes ad illas applicet.

Quantum temporis orationi tribuat? Potest contingere ut ex nimio fervore plus temporis, vel ex majori affectione ad res externas minus temporis tribuatur orationi. Utrumque periculis plenum est, et indiget consilio et directione Superioris. Quoad modum orandi illa tenenda est ratio, quam S. P. N. præscribit, servando diligenter omnes additiones et annotationes.

Notandum hic nequaquam satisfieri præscripto regulæ de hora meditationis quotidie peragenda, si quis

totam horam transigat preces recitando : nisi forte Superior propter rationes sibi probatas hoc alicui in particulari permiserit.

VII. Punctum. *Num in usu rerum spiritualium consolationem... habeat,* etc. 1. Quid proprie sit consolatio, quid ariditas et desolatio dignoscitur ex regulis de discretione spirituum in libello exercitiorum traditis. Exponi hic debet in omnibusne, an in aliquibus tantum, consolationem vel desolationem sentiat, in quibusnam et quam sæpe. 2. Causa inquirenda et aperienda est. An provenire videatur ariditas ex naturali quadam instabilitate? num ex inordinato affectu, et sollicitudine; an ex defectu discursus, negligenti sensuum cordisque custodia? an ex otiositate, aut scurrilitate, quæ animum efficiunt levem, irrequietum, et minus aptum divinis inspirationibus? an ex occupatione externa nimia, ex studiorum amore, quæ plurimum solent ad ariditatem conferre et spiritus pinguedinem exhaurire? num ex probatione divina? Declarandum quomodo se quis in eis gerat; an, quomodo, quibus mediis, qua facilitate se juvet?

VIII. Punctum. *De fructu quem ex sacra Communione* etc. etc.

Tres præcipuos fructus producunt Exercitia spiritualia :

1. Lumina quædam practica, quibus homo illustratus non tantum Deum cognoscat, sed clare videat esse se et actiones suas ad Deum referendas.

2. Dignam Dei rerumque cœlestium et virtutum æstimationem et amorem. Sancta desideria quæ voluntatem inflammant et ex quibus ferventia perfectioris vitæ proposita profluunt.

3. Propositorum suavem executionem : scilicet, compressa inferioris partis rebellione, per fervorem spiritus producuntur sensim ex voluntate virtutum habitus acquisiti, unde paulatim totus homo immutatur et spiritualis efficitur.

Hos fructus excellenti modo producit *SS. Sacramentum* cujus tamen peculiares effectus sunt : 1. Ardens desiderium SS. Eucharistiæ, *qui edunt me, adhuc esurient*. Eccli. XXIV. 2. Intima unio cum Christo Domino : *Qui manducat meam carnem.... in me manet et ego in illo*. Joan. VI, 57. 3. Malarum passionum refrenatio paulatim, sed tamen in dies magis ac magis crescens : *Qui manducat me... vivet propter me*. Joan. VI, 58.

Confessionis fructus est pax et quies animæ exoneratæ. Ardor ad ulciscenda peccata sua, horror peccati vel minimi.

Examen generale est præcipuum exercitium quod Societati præcepit S. P. N. Ejus effectus est ut omnem teporem, omne impedimentum, quo quis in via perfectionis retardari posset penitus tollat.

Examinis particularis fructus est exstirpatio alicujus vitii aut adeptio alicujus virtutis.

Orationis, lectionis spiritualis et *exhortationum*

fructus est vel triplex supradictus, vel unus ex his tribus.

IX. Punctum. *Quem post ultimam rationem... fructum fecerit, et quem animum experiatur ad perfectionem?*

Punctum hoc præcipuum est omnium in ratione conscientiæ, cæteraque nihil aliud sunt quam hujus explanatio. Etenim negotium nostrum assimilatur vel domui quæ ædificatur, vel agro qui excolitur, vel itineri quo viatori pergendum est. Necesse ergo est investigare quousque opus pervenerit, ut prospiciatur in posterum, feliciterque ad finem duci possit.

Tepidi et negligentes in via spirituali et usu mediorum non facile possunt judicare num proficiant : dum contra diligentes facile id norunt. Vide igitur utrum memorata lumina practica experiaris, proposita in dies perfectiora facias, et facilior tibi sit executio et exercitatio virtutum? v. g. qui antea cum repugnantia obediebat, si jam prompte obediat, clarum est illum profecisse.

Quem vero *animum experiaris ad perfectionem*, cognosces ex exercitio de tribus hominum classibus (in libello exercit.). Inquire utrum tantummodo velles perfectus esse, an vero efficacem et absolutam, acquirendæ perfectionis habeas voluntatem, cum determinatione firma omnibus mediis ad id necessariis utendi?

X. Punctum. *Quomodo observet quæ ex Constitutionibus, et regulis..... ad eum pertinent?* Expedit

legere Summ. Constitutionum, regulas communes, modestiæ, et sui officii : aut saltem ea omnia in memoriam sibi revocare : dicere quisque debet quas in illis observandis experiatur difficultates; quæ regulæ sæpius violentur, et qua occasione.

XI. Punctum. *De mortificatione... et de præparatione ad injurias.* Tria declaranda sunt : 1. Mortificationes sensuum, passionum, habituumque pravorum; 2. Opera pœnitentiæ exterioris, eorum numerus et tempus; 3. Opera humilitatis. Videndum quo sis animo ad Christi crucem ferendam? an non contentus sis solo desiderio illorum quæ ad Christi Domini crucem pertinent, quin ea re ipsa experiaris? an contra sentias difficultatem cum tibi acerbius quid dicitur, cum reprehenderis, humiliaris, contemneris, cum morbis aut defectibus naturalibus laboras, cum tibi imponitur pœnitentia, cum tua læditur fama aut honor?

XII. Punctum. *De sociis... et an alicui plus sit familiaris...* An scilicet ex consideratione aliorum in devotione crescat; id est, in amore Dei, promptitudine obsequii, et in exercitio virtutum? an ex colloquio et consortio aliorum juvari se sentiat? an uni sit magis familiaris et cur? solet oriri hæc familiaritas ex affectu nimis naturali, et quandoque producere gravia incommoda, suspiciones, detractiones, querelas, conspirationes, delationes et alia id genus mala, quæ religionem et charitatem fraternam non leviter sæpissime labefactant.

XIII. Punctum. *An aversionem animi sentiat ab aliquo, — an offensus... a Superioribus — quomodo affectus ad Superiores?* 1. *Aversio ab aliquo*, quæ oritur ex antipathia vel ob naturalem alterius agendi modum, quandoque conjungitur cum malevolentia et vindictæ appetitu, et tunc periculosa est. Gravior tamen est aversio illa quæ oritur ex invidia, præsertim si accedant externa aversionis signa, salutationum, colloquiorum, officiorum et charitatis religiosæ negatio, item delationes et detractiones. Aperiendum igitur est an habeat veram aliquam aversionem, quæ ejus sit causa, quis progressus et effectus?

2. *An in aliquo offensus sit?* Ad unionem in Societate conservandam expedit ut qui offensus est, id aperiat Superiori, ut ille admoneat eum qui offendit.

3. *Quomodo affectus ad Superiores?* An agatur erga illos spiritu timoris, an amoris? an fiduciam erga illos habeat, in illis aspiciendo spiritu fidei personam Christi Domini? an bene de illis sentiat, an contra minus bene? an de illis atque de illorum gubernatione cum reverentia debita loquatur?

XIV. Punctum. *An tentationes sit passus* etc. Tentationes præsertim contra vocationem sunt aperiendæ solis Superioribus propter necessitatem tum tentati, tum audientium. Quare non verbis tantum, sed nec ullo signo, v. g. tristiori vultu, tentatio ulla vel contra vocationem, vel contra Superiores, vel contra alios aperienda est alteri. Sed ex præscripto reg. Sum-

marii 41. Præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori aperienda est, et quidem sine mora, saltem tunc dum tentatio gravis est, vel dum moleste perseverat. Cæterum nemo miretur se interdum ejusmodi tentationibus pulsari quæ animas etiam ferventissimas et vocationi suæ addictissimas possunt exagitare. Tentatio enim quævis non est peccatum sed probatio virtutis et victoriæ ac meriti occasio.

III.

CONTEMPLATIO

IN VOTORUM FORMULAM

JUXTA SECUNDUM ORANDI MODUM S. P. N.

Hæc contemplatio tum in prima nuncupatione votorum, tum in renovatione atque etiam sæpius, si libuerit, facienda, sequenti modo institui potest.

FORMULA VOTORUM.

Omnipotens sempiterne Deus, ego N., licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, et impulsus tibi serviendi desiderio, voveo coram sacratissima Virgine Maria, et curia tua cœlesti universa, divinæ Majestati tuæ paupertatem, castitatem, et obedientiam perpetuam, in Societate Jesu : et promitto eamdem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam ; omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones.

A tua ergo immensa bonitate et clementia per Jesu Christi sanguinem peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris : et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris.

Præludium I. Statuam me in conspectu SS. Trinitatis, assistente etiam B. V. M. et Angelis ac Sanctis Cœlitibus universis, paratum jam summa qua potero devotione mea vota nuncupare; et audiam a Sanctis Angelis suavissime mihi occini verba illa : « *Vovete, et reddite Deo, omnes qui in circuitu ejus offertis munera* » Ps. 75. 12.

Præludium II. Petam gratiam a SS. Trinitate, qua intime sentiam et gustem suavitatem latentem in singulis verbis, quibus formula votorum contexta est, et ita me ad eam cum maxima devotione et Dei mei beneplacito mox recitandam præparem.

Punctum I. Pars formulæ prima, voventem ad Deum suaviter elevans.

Incipiam itaque verba singula singillatim per secundum orandi modum expendere et cum dulci mora gustare.

Initium est : *Omnipotens sempiterne Deus. Omnipotens!* Tu, Domine, Creator meus es, Tu me gubernas, Tu mihi paterne provides, proinde quam justum est ea me tibi restituere! omnia igitur sunt tua. Dispone de illis pro omni voluntate tua. Da mihi, omnipotens Deus, oblationem hanc corde et ore pro-

ferre, quemadmodum illam ante me protulerunt corde et ore Sancti e Societate nostra..... O omnipotens, gratia tua mecum semper sit et mecum semper laboret, ut ea quæ nunc tibi vovere cupio, fideliter, constanter et perfecte exequar. Si enim ex me non sum sufficiens solummodo nomen Jesu dicere sicut oportet, quanto minus sufficiens ero superandis difficultatibus, quibus animæ meæ hostes assidue me lacessent et quibus a tuo servitio me retrahere conabuntur? Verum ad te, omnipotens Deus! assidue respicient oculi mei et auxilio tuo semper adjutus omnia potero. *In Deo meo transgrediar murum* (Ps. 17. 30).

Sempiterne! sempiternus et immortalis es, Domine! Tibi igitur sempiterna debentur obsequia! idcirco non solum ad tempus, sed in perpetuum vovere nunc propono. O quam felix ego, qui famulari possum illi cui servire regnare est, non in hac vita tantum, sed in tota æternitate. Quemadmodum tu, Domine, immutabilis es, mea quoque voluntas immutabilis sit, qua nempe dulcissimis illis vinculis, quibus nunc adstringar, nunquam deinceps velim liberari.

Deus. Hac voce complector cum reverentia omnes titulos, quibus vere ac probe compellaris, o Domine, o Pater, o Fili, o Spiritus sancte, o Deus meus et omnia! Includo et exprimo essentiam et naturam tuam, exprimo omnes personas SS. Trinitatis, exprimo omnes perfectiones et attributa tua divina. Tu es tibi et omnibus rebus, quæ extra te sunt, sufficientissi-

mus; Tu bonorum meorum non indiges; at quia Tu es summa bonitas, sapientia et clementia, admittis munera et obsequia mea... Tu fons et plenitudo es omnis perfectionis et omnium bonorum... Quotquot attributa et perfectiones Tu habes, tot ego habeo titulos, ut amem Te, et per vota religionis me Tibi dedicem, ac totus in servitium tuum transeam.

Ego. Quomodo, postquam tantam majestatem contemplatus sum, ego accedere audeo? Ego pulvis et cinis, quem quivis ventus quovis momento dispergit; ego canis mortuus, ego stipula sicca, ego cujus pater putredo, cujus mater et soror vermes; ego macula religionis meæ, ego arbor inutilis et infructuosa, arbor bis mortua, terram frustra occupans et imbrem divini Sanguinis in vanum bibens. Hic tamen ego fiducia plenus nomen meum addo, enixe flagitans ut inscribatur in libro vitæ. — *Licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus :* et hoc publice confiteor, hac humili et sincera confessione intendens injurias resarcire, quas toties peccando tibi intuli.

Ast quomodo apparebo ante Te? ut loquar Tecum et vota mea offeram Tibi, apud quem ne cœli quidem mundi sunt, et qui etiam in Angelis reperisti pravitatem, ego peccator, ego reus decem millium talentorum, qui non habeo unde solvam? Attamen pergam et non desistam, quoniam sic est placitum ante te.

Fretus tamen pietate et misericordia tua infinita. Ita est, ita est Pater! quantum me terret et retrahit

indignitas ac miseria mea, tantum me erigit et attrahit bonitas et misericordia tua. Absit itaque ut ad cætera mea peccata tot jam ac tanta, hoc etiam addam, ut de tua pietate ac misericordia diffidam. Ecce venio jam, Domine, non aliquo meo merito, sed unice fretus pietate ac misericordia tua infinita.

Et impulsus tibi serviendi desiderio. Ita, mi Domine, quod modo facio, non id ex consuetudine facio aut quia alii ita faciunt, sed unice quoniam hoc Tibi placet, unice quia amo Te, atque ex hoc ipso amore implere volo omnem justitiam. Mercedem nullam peto : jam enim tot ac tantis auctus fui beneficiis a divina manu tua mihi concessis.... Sed cum sis adeo liberalis, ut nihil a quopiam accipias, quin ei mercedem magnam retribuas, ideo etiam jam amanter quæris ex me, quam ego mercedem pro tam parvo obsequio a te efflagitem? Ut voluntati tuæ divinæ satisfaciam idem postulabo quod sanctus Parens meus Ignatius a te petivit : « Domine, ut amem Te, nec alia mercede quam ut magis amem Te. »

Punctum II. Votorum actualis jam et verbalis expressio.

Voveo, id est, non solum intendo simplex emittere propositum, cujusmodi in quavis confessione facio, sed verum votum, ac proinde me quam arctissimis conditionibus adstringo erga te, o Domine, o Deus optime, maxime, infinite; et hæc vota emitto, affectu quam ardentissimo, intentione quam maxime pura

et sublimi, tenerrimo illo impulsus amore, quo te diligo summum bonum meum.

Coram Sacratissima Virgine Maria. Hæc enim peccatorum refugium, hæc mea maxima fiducia est, hæc mea mater est, hæc mater est etiam Ordinis mei; hæc suo pallio tegit me et totam Societatem nostram. Per ejus manus oblata vota spero, o Deus, tibi fore gratiora. Si quid tibi in me displicet, ipsa pro me deprecabitur. Itaque veni, o Maria, invito te ad ista mea vota, sicut S. Aloysius te semper ad sua vota invitavit.

Et Curia tua cœlesti universa. Invoco hic omnes Angelos et Beatos qui regnant in cœlo cum D. N. Jesu Christo, præcipue S. Angelum meum custodem, S. Patronum meum, et Sanctos quorum hodie festa dies celebratur....

Divinæ Majestati tuæ. Ita Domine, quod modo promitto, non promitto Sanctis Angelis, non Archangelis, non SS. Martyribus, non Apostolis, non ipsi Dei mei Matri B. V. M.; sed unice divinæ Majestati tuæ cujus contemplatio me continet : o utinam semper contineat in votorum meorum exactissima observatione! ut nunquam aliqua eorum transgressione læsæ Majestatis tuæ reus fiam. Hæc eadem infinitæ Majestatis tuæ contemplatio illud quoque in me efficiat, ut semper memor sim, te terribilem esse in Majestate tua, tibi deberi omnem honorem et omne obsequium, ac velle te ut faciam quæ possum, ad vota

mea implenda, et quod non possum, petam a Te, qui semper ades mei operis spectator, testis, judex, remunerator.

Paupertatem. Ita, paupertatem : cujus exemplum video in Filio Dei, qui *propter nos egenus factus est, cum esset dives*, qui paupertatem sic penitus amavit, ut vere dicere potuerit, *vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, filius autem hominis, non habet ubi caput reclinet.* Intuens in istud paupertatis divinum exemplar, idque imitari quoad licet cupiens ex animo, ardentissime dicam : ecce Pater æterne, ecce Pater Domini mei Jesu Christi, relinquo domum, patrem, matrem, fratres et sorores et quidquid in mundo habebam, et transeo in familiam et Societatem Filii tui pauperis, ut cum eo deinceps pauper vivam, et pauper moriar. Et hoc ejusdem Domini mei ac Filii tui Jesu Christi amore ita libenter et ex corde facio, ut si etiam par tua gloria, par meum meritum foret, sive in mundo dives et honoribus cumulatus viverem, sive in religione pauper et obscurus, ego tamen hoc posterius eligerem ad majorem Christi imitationem, juxta tertium humilitatis modum a S. P. N. Ignatio nobis propositum. Novi autem, Domine, hunc ascensum ad supremum istum humilitatis gradum ita sublimem et pretiosum esse in oculis tuis, ut contingere possit renovationem votorum per eum magis tibi placere, quam tibi placuerat ipsa prima votorum nuncupatio, si forte tunc modus hic tertius humilitatis ei non suberat.

Castitatem. Quantum tibi placeat castitas, sæpe mi Jesu, hominibus ostendisti. Sed quæ jam ex se pulcherrima et tibi gratissima est virtus, longe pulchrior et tibi gratior efficitur, si adjiciatur votum. Voveo proinde castitatem, et hoc voto castitas mea ad ipsam virtutem religionis pertinet, et inde novum decus accipit, quale castitas nec in Angelis habet. Eorum regina, Mater Dei mei, Sanctissima Virgo Maria exemplo mihi præivit : cum ipsa nunc voveo perfectissimam corporis et animæ castitatem.

Et obedientiam, in qua tu, Domine ac Redemptor meus, exemplo præis, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, obediens non solum Patri sed etiam Matri, etiam Nutritio, etiam Pilato, etiam te cruci affigentibus, verbo, omni creaturæ, aliquam auctoritatem aut potestatem de cœlo a Patre habenti.

Perpetuam in Societate Jesu. Hoc est tota vita continuandam, cum perpetua ac finali perseverantia in Societate tua sancta, ut ita dignus sim quem vita functum, et ad Te pro denario recipiendo venientem, Socium tuum amanter compelles et ex Societate ista militante in terris transferas ad triumphantem et tecum regnantem in cœlis.

Et promitto eamdem Societatem me ingressurum, prompte scilicet acceptando quemlibet gradum a meis Superioribus pro me determinandum. Fiat, Domine, de me divina tua, meorumque Superiorum dispositio. Omnis gradus, quicumque ille sit, sublimis est, quia

per illum ascenditur ad cœlum. Qui primus gloriam martyrii in Societatem intulit, V. P. Antonius Criminalis, non professus nostri ordinis, sed tantum coadjutor spiritualis fuit. Omnis gradus futurus est supra mea merita, omni me indignum reputo, nullum ambio nec ambiam unquam, cum elegerim abjectus esse in domo Dei.

Ut vitam in ea perpetuo degam. Hæc erit mea maxima felicitas, qua majorem in vita mea optare non possum. Aliquis ex maximis servis tuis in Societate nostra, Cæsar Cajetanus, istas tres gratias a Te, Domine, legitur petiisse et a tua bonitate obtinuisse, 1. ut moreretur in Societatis novitiatu, 2. ut moreretur eodem morbo quo S. Aloisius, 3. aliquo die B. V. Mariæ sacro. Ego Domine, tres alias gratias humillime flagito : 1. ut moriar in sancta tua gratia, 2. in Romana Catholica Ecclesia, 3. in hac sancta Societate, in qua, qui moriuntur, beati moriuntur.

Omnia intelligendo juxta ipsius Societatis constitutiones. Ita, Domine, ita penitus, *juxta ipsius Societatis Constitutiones*, non juxta detortas et menti Societatis contrarias interpretationes, non juxta laxas resolutiones, neque secundum principia et dictamina imperfectorum religiosorum. Procul sint ista a me, Jesu amabilissime ; Constitutiones Societatis tuæ meum esse Ducem et Magistrum volo, et unice exopto et expeto... Fac, Domine, ut non aliter ac juxta easdem Constitutiones, verumque illarum sensum, votorum

meorum obligationem, et omnia quæcumque meæ vocationis sunt plane semper intelligam.

Punctum III. seu **Colloquium,** fiat e verbis sequentibus :

A tua ergo immensa bonitate et clementia in qua sperare me nunc coram cœlo et terra profiteor et profitebor semper, ac volo ut in ipsa morte quando jam loqui non potero, ultimus meus halitus hoc idem profiteatur, *Per Jesu Christi Sanguinem, peto suppliciter.* Hic Sanguis, o Pater, ad Te pro me clamat, multo aliter, ac melius quam sanguis Abel. Filius tuus olim eum pro me totum in cruce fudit, et modo iterum totum pro me tibi obtulit in hoc altari. Per istum itaque agni immaculati, *qui tollit peccata mundi,* divinum Sanguinem peto suppliciter

Ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris. Non enim qualemcumque oblationem, o Deus meus, Majestati tuæ facere intendo; sed quæ sit holocaustum, in quo victima tota consumitur et igne in cineres redigitur. Ita, Domine, me totum quantus sum, sine omni diminutione Tibi immolare, tuique amoris incendio sancto ac dulcissimo consumi penitus desidero. Dignare itaque, o Deus et Pater meus, hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere, ut sim hodie coram Te in hora ista *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Conjungo hoc meum holocaustum, non cum holocaustis veteribus, sed unice cum suavissimo et flagranti Sacrificio, quod

Tibi, o Pater, Filius tuus ac Salvator et Dominus meus, Jesus Christus, in ara crucis obtulit, et usque ad finem sæculorum offerre nunquam cessabit... Sic unitum hoc meum qualecumque sacrificium dignaberis, Pater amantissime et misericordissime, ino dorem suavitatis admittere.

Et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Nam nosti, Domine, me nihil ex me ipso posse, nisi me ipsum dare præcipitem in ruinam et interitum. Nosti, Domine, perseverantiam, quæ sola coronatur, *non esse hominis volentis nec currentis, sed Tui miserentis.* En ergo me huic misericordiæ tuæ custodiendum trado, et ad finem meum ultimum, qui Tu Ipse es, securissime perducendum.

IV.

ALTERA

IN VOTORUM FORMULAM MEDITATIO.

—

Votorum formulam perpende juxta secundum orandi modum a S. P. N. in exerc. libello traditum; quod ut facilius præstes, hæc pauca accipe, quæ tibi latum considerationis campum aperient. *Omnipotens sempiterne Deus...* Deus cujus perfectio omnis expers est

limitis, benignissimos oculos ad te convertit, et adeo se demittit ut ab infima creatura sua aliquid accipere dignetur..... *Omnipotens* est ad te adjuvandum, ut ea quæ promittis, eo donante præstare possis..... *Sempiternus*... non est sicut reges terreni, quorum vita et potentia tam arctis limitibus concluduntur et quibus tamen serviunt homines tanta cum diligentia. Ille autem te fidelem æterna mercede remunerabitur. *Ego licet undecumque divino tuo conspectu indignissimus*... Etenim si vitam in sæculo et religione actam, si miserias corporis et animæ attente consideraveris, te procul dubio deprehendes undecumque conspectu Dei indignissimum! qua itaque humilitate est accedendum? qua reverentia? Sed simul tamen magna cum fiducia : *Fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita*... pietas est affectus paternus in filium, qua exoptat optimus Pater ut Filio quam optime sit; misericordia vero virtus est quæ inducit ad hominem a malis liberandum; cum utrumque illud attributum in Deo sit infinitum, sane ad amplissimam fiduciam provocaris. *Et impulsus tibi serviendi desiderio.* Hinc omnia incitamenta humana, quibus forsan movebaris cum Societati nomen dabas, removenda sunt atque in sanctiora et perfectiora commutanda. Ab hoc enim desiderio pendet perfecta peccatorum remissio, quam aliqui e SS. Patribus cum baptismo comparant.

Voveo coram Sacratissima Virgine Maria. Quæ Dei tuique mater est; nam Filii sui sociis materno

affectu peculiariter assistit. *Et curia tua cœlesti universa....* intuere in cœlis B. V. Mariam, Angelum custodem, S. P. N. Ignatium, tamque multos Societatis nostræ Sanctos, qui se per hæc eadem vota sanctificarunt, testes esse promissionum tuarum, in die judicii rationem pro te vel contra te reddituros; et cogita illos a te aliquid præclari exspectare. Voveo... *Divinæ majestati tuæ paupertatem, castitatem et obedientiam perpetuam...* observa hic sollicite ad quid te obliges : a) Voves *obedientiam*, qua obligaris ad parendum tuo Superiori in omnibus quæ secundum regulas et constitutiones tibi vere præcipiet. Sed præter hanc strictam voti obligationem, ut sis verus Societatis filius, contendes etiam ad perfectionem hujus virtutis pervenire, ut non externa solum exsecutione sed interna etiam voluntatis et judicii submissione obedias. b) Voves *castitatem*, quo voto te adstringis ad omnes voluptates carnales voluntarias. internas et externas, fugiendas. c) Voves *paupertatem*. Hinc nihil in posterum ut proprium habere vel retinere tibi licet, saltem insciis Superioribus; in usu rerum meminisse debes omnia tibi concessa, non esse tua, sed bona pauperum. Tandem ut etiam effectus paupertatis experiaris, pessima ad usum tuum adhibeas, imo et necessariis libenter careas, virtus paupertatis et regulæ a te postulant. Insuper vi hujus contractus quem cum Deo inis, te obstringis ad tendendum semper ad altiorem perfectionem. Deus

autem vicissim tibi spondet in hac vita *centuplum* et postea *vitam æternam* (Matth. XIX, 29).

Et promitto eamdem Societatem me ingressurum. . In his verbis votum continetur, quo te obligas ad acceptandum gradum qualemcumque, sive professi, sive coadjutoris spiritualis, quem tibi Superiores decernent. Cum necessarium sit divinum auxilium ad difficultates obvias superandas, recurre ad *immensam Dei bonitatem*, quæ maxime prona est ad se suaque dona nobis communicanda; et quia illis per peccata tua indignum te reddidisti, implora etiam *clementiam* pronam ad ignoscendum, potissimum ubi, quæ placare solent, munera offeruntur : nec tantum per intercessionem testium adhibitorum, sed etiam *per unigeniti Filii ejus sanguinem*, pro salute nostra tam liberaliter effusum, humiliter obsecra. Confidenter igitur efflagita, ut munus hoc tuum triplex, quo te tuaque Deo offers *in holocaustum* amoris igne concremandum, benigne *dignetur admittere*, sibique in eo complacere; et sicut gratiæ suæ prævenientis auxilio te impulit *ad hoc desiderandum et offerendum*, ita et ejusdem gratiæ continuo favore *ad promissa fideliter et constanter adimplenda* te dirigere ac roborare dignetur.

V.

MEDITATIO

PRO RECOLLECTIONE MENSTRUA.

—

Oratio præparatoria consueta.

Præludium I. Constitue te coram Sanctissima Trinitate inter Angelos et Beatos considente, cui rationem villicationis tuæ es redditurus.

Præludium II. Lumen pete ad cognoscendum gratiarum acceptarum pretium, ingratitudinem tuam, pericula et peccata, et gratiam ad concipiendam ferventem te emendandi voluntatem.

Punctum I. Considera quænam beneficia hoc mense vel hebdomade a Deo acceperis. Præcipua autem sunt : perseverantia in vera religione et in Societate ; continuatio mediorum ad sublimem vocationis finem consequendum ; quotidiana pietatis exercitia, frequens Sacramentorum usus, continua Superiorum vigilantia, optimorum fratrum exempla ; conjunctæ cum his omnibus gratiæ internæ, motiones singulares et repentinæ inspirationes, retrahentes a peccatis gravibus et a multis deliberatis venialibus, crescens in dies facilitas in superandis difficultatibus ; amoris erga vocationem augmentum, materna B. V. protectio, affectus

major ad paupertatem, castitatem et obedientiam, ad crucem Domini ferendam, ad Institutum et regulas; profectus in studiis; successus in ministeriis et officiis; specialis denique Dei providentia in necessariis corpori suppeditandis. Verum est *quoniam bonus* Dominus, *quoniam in æternum misericordia ejus. Benedic anima mea Domino et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Punctum II. Considera præsentem statum tuum; utrum scilicet mense elapso præstiteris te meliorem quam antecedente, et quidem expendendo : Quæ fuerit tua habitualis per hunc mensem vel hebdomadam dispositio... Quæ in quotidianis et ordinariis exercitiis diligentia...

a. *Quæ habitualis dispositio?*

1. Erga Deum. Utrum mense elapso rarius nec ita graviter peccaveris, quam antecedente? Si ita inveneris, ferventes Domino Deo redde gratias et postula ardenter, ut eamdem erga te augere et conservare diligentiam possis; si te inveneris non profecisse, imo addidisse peccata peccatis, vide in qua materia, propter quas causas, et quomodo has causas hoc mense removebis, ne, si non emenderis, sensim refrigescas et fias deterior, atque ita sensim sine sensu a Deo deseraris. Quem animum et desiderium expertus es ad perfectionem consequendam, et quomodo rebus

spiritualibus fueris affectus? An generatim in spiritu amoris, non timoris, in omnium constitutionum observationem incubueris, ita ut nihil perfectionis quod, divina gratia adspirante consequi potuisses prætermiseris aut saltem deliberate negligere volueris.

2. Erga proximum. An Superiores Christi Domini loco agnoveris, et interna reverentia et amore illos prosecutus sis illisque et subordinatis officialibus integre, prompte et humiliter obedieris, sine excusationibus et obmurmurationibus, cum resignatione propriæ voluntatis et judicii, ad quælibet indifferens? An illis apertus et simplex fueris, nihil clausum tenueris? An erga omnes honorem et reverentiam exhibere curaveris, unionem et conformitatem mutuam tenueris, contentionem fugeris, familiaritatem et aversionem particularem æque vitaveris? An inferiores, discipulos, pœnitentes assidua oratione et piis desideriis Deo commendaveris? An charitate, patientia, vera humilitate et modestia Deo et hominibus amabilem te reddideris; interius et exterius pacatus fueris et in loquendo circumspectus? An severitatem necessariam cum mansuetudine et benignitate miscueris; an onera aliis imposueris, quæ ipse nec ferre potes?

3. Erga te ipsum. An paupertatem ut matrem dilexeris, ejusque effectus patienter vel libenter expertus sis; et quæ vilissima sunt tibi optaveris et vindicaveris? An angelicam puritatem imitatus sis corporis et mentis munditie, omnem cogitationem et sermonem

contrarium procul a te habueris, sicut decet sanctos? Utrum te præterito mense strenue in omnibus viceris; passiones tuas, affectus inordinatos, inclinationes sensualitatis vel saltem illorum partem generose refrenaveris; et quare non? An portas sensuum diligenter custodieris? An in corporis castigatione præter vel contra obedientiam immoderatus vel remissus fueris?

b. Quæ diligentia in quotidianis actionibus?

An mane, dato signo, illico surrexeris, semper intentionem converteris ad Dei auxilium in præsentem diem invocandum, ad fructuose orationem faciendam, omni aliena cogitatione et occupatione exclusa? An meditationem quotidie ferventer et integre, servatis ubique formis et additionibus S. P. N., peregeris? Omnem etiam corporis Deo, cui tremunt potestates, reverentiam exhibendo, viva fide considerans veritates, magno affectu cum Deo colloquens, spe firma auxilium invocando? An Missæ sacrificium omni cum reverentia et devotione celebraveris vel audieris? An continuam SS. Eucharistiæ famem expertus sis? Quæ ad illam præparatio et gratiarum actio? quis fructus? An officium divinum attente et devote, decenti loco et situ, opportuno tempore absolveris? An omnem ex eo fructum ceperis quem universalis Ecclesia triumphans, militans et patiens merito sibi exspectat? An in studiis animi puritatem, rectamque intentionem habere conatus sis, crebroque in eis proficiendi gratiam petiveris, serio et constanter animum applicaveris?

An in refectione corporis temperantiam servaveris, ac mente ad lectionem conversa sensualitatem cluseris? An religiose animum recreaveris? An ad privatas et supererogatorias devotiones erga Jesum Christum, B. Virginem Mariam, SS. Angelos et Patronos, ita incubueris ut conversatio tua in cœlis fuerit? An tempus præscriptum piæ lectioni tribueris? An utroque examine, non obiter sed juxta rationem a S. Patre nostro traditam utaris? An frequenter et post præcipuas actiones teipsum collegeris et examinaveris? An processeris in actionibus quotidianis ordinate, an tumultuarie? His peractis, ubi te profecisse animadverteris, ulterius contendere statue, memor, in virtute non progredi esse regredi; ubi vero te defecisse deprehenderis, firmiter propone efficax afferre vulneri remedium, illudque cura præcipua quotidie examina et in meditatione tracta, ne modica spernens paulatim decidas; sciens esse plurimos, qui minora cum neglexissent, ad gravissima paulatim delapsi, vocationis tædio oppressi, Societatem tandem deseruerunt, fidem abnegarunt, animam ipsam perdiderunt.

In **colloquio** invoca B. Virginem Mariam et Beatos, imo et omnes creaturas, et simul cum eis ferventissimas age gratias SS. Trinitati pro beneficiis tibi concessis, offer illi tua proposita et pete ardentissime ut tibi sequenti mense per merita BB. Dei Genitricis Mariæ et omnium SS. Angelorum, S. Patris nostri Ignatii et omnium Societatis nostræ, aliorumque Sanctorum spe-

cialiter, in omni loco, tempore, necessitate, officio, benedicere, teque singularibus gratiis et favoribus ubique adjuvare dignetur.

Puncta quædam

QUORUM POST MENSTRUAM RECOLLECTIONEM A NOVITIIS P. MAGISTRO REDDENDA EST RATIO.

—

1. An vivat contentus juxta suam vocationem et an fervens desiderium sentiat in ea perseverandi, atque in via perfectionis in dies magis magisque progrediendi?

2. An aliquas tentationes aut animi perturbationes experiatur et quales? Qua etiam facilitate aut difficultate resistat?

3. Quomodo se habeat circa orationem, et num debitam adhibeat diligentiam ut bene et cum fructu succedat?

4. Quem fructum hauriat ex Sacrificio missæ, ex sacra Communione, Confessione, lectionibus spiritualibus, examinibus et præsertim particulari? (*Cfr. Explan. Instr. ad reddend. Conse. rat. Punct. VIII.*)

5. An bona utatur valetudine? Quas usurpet corporis afflictiones, et qua constantia et generositate?

6. Qualis sit in observatione tum regularum, præsertim silentii et modestiæ, tum monitorum Superiorum?

7. Num fructum et ædificationem ex sociorum consortio et conversatione capiat? Qua caritate et mansuetudine cum omnibus agat?

8. Num assuescat paulatim agere ex principiis fidei, non ex consuetudine aut naturali inclinatione; in adversis animi pacem servare et suavem Dei Providentiam agnoscere; divinam colere præsentiam, non tam capitis quam cordis recordatione?

FINIS.

INDEX

DOCUMENTORUM VITÆ SPIRITUALIS.

—

PARS PRIMA.

Documenta prima et magis necessaria.

Pag.

1. Documenta pro tironibus in prima probatione versantibus 3
2. Documenta pro novitiis ut perfectionis viam tuto ingrediantur 8
3. Monita ne quis aberret in via perfectionis . . . 16
4. Arma contra tentationes 20
5. Industriæ contra defectus 24
6. De fontibus defectuum 31
7. Monita meditaturo utilia 34
8. De amore et observantia regularum 40
9. De regularum consideratione.
   a. Ejus necessitas 45
   b. Qualis esse debeat 47
   c. Ejusdem praxis 49
10. Imago boni novitii 52

PARS SECUNDA.

Diarium, seu modus rite actiones obeundi.

Pag.

I. Documenta prævia.
1. De exemplo christi in omnibus 57
2. De perfectione operum 60
De externa operum ratione.
a. Ordinis observantia 61
b. Minimorum cura 62
c. Methodus 63
De interna operum ratione.
a. Recta intentio 65
b. Mentis fervor. 67
c. Interna perfectio. 68
II. Diarium.
1. De modo religiose surgendi 70
2. Praxis devote audiendi sacrum 73
3. Modus visitandi SS. Sacramentum. 76
4. De lectione spirituali 80
5. De modo audiendi verbum Dei 83
6. De operibus manualibus 85
7. Praxis utriusque examinis 87
Industriæ 93
Examinis generalis materia 94
8. Refectio corporis. 100
Modus dicendi culpam 103
Preces 104
9. Recreationis tempus. De fine recreationis . . . 105
Fraterna caritas 107
Colloquium spirituale . . 108
Urbanitas 110
10. Methodus pie recitandi litanias 112

Pag.
11. Ratio pie decumbendi 114
12. Praxis confessionis instituendæ. 116
13. Praxis pie communicandi. 120
14. Praxis instituendi recollectionem 124
15. Externa conversatio. 128
16. Praxis orationum jaculatoriarum 132

PARS TERTIA.

Adjumenta, impedimenta, monita pro fine tirocinii.

1. Devotiones quæ nostris commendantur 137
2. De cultu SS. Cordis Jesu 138
3. De devotione erga B. V. Mariam 142
4. Devotiones variæ. a. Erga Angelum custodem. . 149
b. Erga S. Josephum 150
c. Erga S. P. N. Ignatium . . 151
d. Erga Patronum menstruum . 152
5. Novendiales devotiones 154
6. De æstimatione et amore vocationis 156
7. Stimuli ad perfectius Deo serviendum. 159
8. De exercitatione virtutum quotidiana. 163
9. Dictamina philosophiæ cœlestis. 167
10. De statu animæ in via perfectionis.
a. Signa profectus. . . 169
b. Signa tepiditatis . . 170
11. Monita pro negotiatione spirituali 172
12. Impedimenta in via cœpta progrediendi 179
13. Adjumenta ad conceptum spiritum conservandum. 186
14. Monita pro novitio tirocinium absolvente . . . 195
a. Fugienda novello religioso . . 196
b. Præstanda novello religioso. . 199
15. Quædam sententiæ B. Joannis Berchmans . . . 204

PARS QUARTA.

Documenta ad scholasticos pertinentia.

Pag.

1. Instructio pro scholasticis. 211
2. Documenta aurea. 219
3. Indicia profectus religiosorum in spiritu. . . . 230
4. De causis ruinæ religiosorum 233
5. Monita pro renunciatione bonorum 238
6. Monita pro abeuntibus in aliud collegium . . . 243
7. Monita pro ordinandis.
   a. De præparatione ad sacros ordines. . 246
   b. De recitatione officii divini 250
   c. De SS. missæ sacrificio. 254

PARS QUINTA.

Documenta pro patribus 3^m^ probationem agentibus.

1. Ordinatio R. P. N. Claudii Aquavivæ. 261
2. Epistola R. P. N. Vinc. Carrafæ 266

PARS SEXTA.

Documenta pro aliquibus temporibus per annum.

1. Adjumenta pro exercitiis annuis 281
2. Explanatio instructionis ad reddendam conscientiæ rationem 284
3. Contemplatio in votorum formulam 300
4. Altera contemplatio in eamdem 311
5. Meditatio pro recollectione menstrua 314

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items subject to

GTU Library
3 2400 00535 3143

42983